Observationes criticae in Propertium

Quod olim C. L. Struuius dixit, cum iuuenis obseruationum in Propertium specimen ederet, elegisse se hunc poetam, in quo iuuenile ingenium exerceret, id ego de me nunc profiteor. Nam cum non tam multarum rerum scientiam, facilem illam quidem studio et labore paratu, quaerendam, quam ut rectam antiquas litteras tractandi rationem perdiscerem curandum censerem, eiusque rei initium non posse nisi ab uno scriptore diligenter omni ex parte pertractato capi existimarem, Propertium, ad quem casus magis quam consilium me tulerat, aptum esse ad id quod mihi proposueram assequendum intellexi. Nec poterat fieri, quin rem aggressus inuenirem, de quibus rectius mihi uiderer, quam ante me factum erat, iudicare. Itaque amplissimo philosophorum ordine ut scriberem aliquid, si summos in philosophia honores a se impetrare uellem, poscente, eis quae paraueram abiectis, e studiis in Propertio collocatis delibare nonnulla certoque, quem codicum aestimatione effici uolui, ordine composita perscribere uisum est.

I.

Omne autem hoc codicum aestimandorum studium in stirpis diuersitate et Italorum interpolatione cognoscenda positum est. Et stirpis quidem diuersitate, ita ut propriam sibi uindicet originem, unus inter omnes libros eminet Groninganus codex (G): quem propter complura quae exhibet ostentandae eruditionis uestigia recentis aetatis esse persuasum habeo. Diuersa autem a reliquis hunc librum esse origine, imprimis ei indicant uersus, in quibus aut solus aut consen-

tiente modo hoc modo illo libro ueram scripturam seruauit. Cuius rei haec ascripsi exempla, numeris uersuum et carminum positis eis quibus in altera editione usus est Lachmannus. I, 16, 23 *sidera plena*] *sidera prona* G. 20, 11 *cupidas defende rapinas*] *cupidis defende rapinis* G. III, 12, 18 *si puer est alio traice puella tuo* (uel *loco*)] *si pudor est alio trahice tela tua**) G. 21, 12 *Eiecta est tenuis namque Creusa domo*] *Eiecta est: tenuit namque Creusa domum* G. 27, 15 *clamantis*] *damnatum* G. 32, 8 *sed*] *nam* G. V, 7, 65 *summa aeternis*] *sua maternis* G. Quibus adde haec ex ultimo carmine excerpta 14 *et*] *en* G. 44 *et erat*] *erat et* G. 63 *te - te*] *tu - tu* G. 77 *mater*] *matris* 79 *si quis doliturus erit*] *si quid doliturus eris* G. 84 *tace*] *iace* G. Sed cum recenti aetate scriptus sit codex, factum est, ut non negligentia solum librarii, quae permagna in eo fuit, sed etiam interpolatorum, quod tum ingrauescebat, studio stirpis praestantia corrumperetur. Cuius rei cum exempla, quae per se fidem facerent, quaererem, certissima visa sunt haec: I, 3, 9 *uestigia*] *suspiria* G. II, 9, 2 *eiecto*] *erepto* G, petitum ex II, 8, 1 et 36. III, 20, 13 *ad surdas*

---

*) Admonet me haec locutio, ut rectius interpreter uersus ab editoribus aut perperam explicatos aut mutatos male I, 9, 33 sq.

Quare si pudor est, quam primum errata fatere:
Dicere quo pereas saepe in amore leuat.

Quibus Ponticum, ut seruam se amare fateatur, admoneri putant: quod nec in uerbis inesse potest, nec dici a Pontico intererat Propertii. Respicit potius ad superbiam Pontici, qui Propertio irriso tutum se esse ab Amoris impetu iactauerat. A quo animo cum eum reuocare carmine septimo frustra studuisset poeta, nunc amore aperto hortatur, ut, si iam pudeat contumaciae, errasse se antea et Amori succubuisse fateatur. Leuari enim amantis dolores, si quis eum quo pereat ardorem amoris esse non dissimulet. Similis sententia est Tibulli I, 8, 7, prorsus alienum autem Catulli carmen 6, cui hoc Propertianum simillimum esse censuit Husehkius anall. litt. p. 45.

mihi dicitur aures] *absurdas miseri dicatur in aures* G. 25, 15 *sed tamen obsistam: teritur*] *sed non obsita tegitur* G. IV, 10, 32 *sic peragamus*] *ter peragamus* G, petitum ex III, 33, 22. IV, 13, 18 *fusis*] *positis* G. 20 *pudor est non licuisse*] *pudorem non uoluisse* G. V, 2, 41 *fama*] *cura* G, petitum ex Ouid. tristt. IV, 3, 17. V, 10, 27 *regna*] *praeda* G. Quibus adde quae Iacobus ad Prop. p. 155 composuit.

In reliquis codicibus cum nullus sit, quod quidem nunc cognosci queat, qui singularem sibi originem uindicet, hoc agendum est, ut compluribus libris comparatis, quid in communi huius familiae fonte scriptum fuerit, cognoscamus. In hoc autem negotio magno fortunae beneficio factum est, quod unus nobis seruatus est huius scripturae testis, qui cum aetate non ita longe uidetur ab ea abesse, tum prauo Italorum studio genuinam indolem non mutauit, Neapolitanum dico, nunc Wolfenbuttelanum (N), qui saeculo XII uel XIII scriptus est. Interpolationis enim indicia quae ex eo afferri possunt aut admodum rara sunt, nec ea plerumque Neapolitani propria, sed, cum in plurimis huius familiae libris inueniantur, ex ipso eius fonte repetenda, ut II, 3, 22 *carmina quae quiuis non putat aequa suis* in omnibus fere libris est pro *carminaque Erinnes non* etc., quod, cum nomen corruptum esset, *lyrnes* enim in G legitur, non poterat intelligi: aut ita comparata sunt, ut non emendandi studium prae se ferant, sed negligentiam ostendant librarii interpretamenta in continuitatem uerborum recipientis, ut III, 23, 22 *capiant*] *iuuerint* N. V, 1, 65 *si quis cernet*] *quisquis cernit* N. IV, 1, 22 *omnia post obitum fingit maiora u e t u s t a s*] *fame — uetustae* N. Antiquitate autem libri fit, ut pleraque, quae in reliquis codicibus dispersa sunt, uerae scripturae uestigia in hoc uno appareant coniuncta. Quamquam, quia non ex ipso N descripti sunt, fieri potest, ut, quae in illo casu oblitterata erant, seruauerint alii. Quam-

obrem cum prorsus abiici nequeant, maximum tamen negotium facessit interpolatio in aliis liberius grassata, temperantius in aliis, diffusa per omnes. Nam non solum ingenium exercuerunt Itali, sed etiam aliis libris, inque eis Groningano similibus, ad corrigendum adhibitis utramque familiam permiscuerunt, ut difficile sit intellectu, si quid proprii hi codices habent, utrum id ad communem stirpem pertineat, an librariis debeatur.

Primum autem in his libris locum sibi uindicat codex Leidensis 4, 133 A. membran. saec. XV, in Italia scriptus „ex Biblioth. mssta Iacobi Mentelii, nobilis Galli“ (M), quem, cum superiore anno Batauiam peragrarem, cum altera Lachmanni editione contuli *). Ut autem alterum post N locum tenet, ita origine proxime ad eum accedit. Quod quanquam scio non posse nisi utroque libro accurate inter se comparato intelligi, cognoscitur tamen aliquatenus quod per totum librum expertus sum in paucis quoque uersibus. Ascripsi igitur scripturae discrepantiam e GNM in III, 29 et 30 ad alteram Lachmanni editionem notatam.

29, 1 *Hesterna* GNM *uagarer* NM *uagarem* G. 3 *nescio* GN *nestio* M. 5 *sagittas* GN *sagitas* M. 7 *unus* GN *umus* M. 8 *Arripite* N *Aripite* M *Accipite* G *nam* GM *iam* N. 11 *et* GM *at* N. 14 *Haec* NM *Hoc* G. 14 *inepte* GM *inempte* N. 17 *Adflabunt* GN

*) Excussus erat liber antea a N. Heinsio, qui eum Mentelianum dicit, a Brouckhusio, qui Francianum secundum uocat, ab Oudendorpio, qui Leidensem secundum appellat. Quorum uniuscuiusque quae sit fides, haec ostendant codicis scripturae exempla non sine consilio a me electa: I, 3, 43 *Inter ea leuiter.* 7, 20 *serus.* 14, 24 *nec.* 16, 25 *labores.* 20, 1 *Haec.* II, 3, 40 *fuit.* 6, 20 *duro.* III, 13, 47 *Quis tam longeuae meminisset.* 18, 5 *caneret.* 19, 1 *colis.* 34, 31 *memorem misis.* IV, 5, 21 *iuuet.* 8, 13 *circa se.* 9, 47 *minacem.* 10, 32 *sic.* 11, 17 *Ompale et tantum.* 55 *fuit.* 13, 2 *uenerem.* 15, 3 *praetexta.* 20, 17 *confringit.* V, 10, 34 *uinea que inductum.*

Afflabunt M. 21 *me* GNM *iniecto* GM *in lecto* N *duxerunt* NM *direxit* G. 24 *et* G *at* NM. 25 *umquam* GN *unquam* M. 26 *neque* NM *nec* G. 27 *narratum* GN *narrabat* M. 28 *Neu* GN *Heu* M. 29 *demissa* GNM. 31 *Quo* G *Quod* N *Quid* M. 32 *uestris* GN *ustris* M. 36 *uoluptatis* GM *uoluntatis* N. 39 *suauia dextra* G *sauia nostra* N *suaui anostra* M. 40 *saxa* NM *sacra* G. 41 *recludor* GM *reludor* N. 42 *nox* G *non* NM. 30, 2 *tanain* N *thanaim* M *thanhim* G. 5 *sectae* N *septae* G *septem* M. 6 *mercurii* GM *mercuri* N. 7 *supra* GN *semper* M. 9 *numquam* N *nunquam* M *nusquam* G. 12 *uiderit* GN *uaderit* M. 14 *teramus* GN *toramus* M. 15 *onerentur* M *onerantur* N *ornentur* G. 16 *sones* GN *sonet* M. 17 *menandri* GNM. 18 *palladis* GN *pallidus* M. 19 *Nun* M *Non* pr. N *Nunc* G rec. N *dura paras* GM *tamen immerito* N *phrygias* GN *phrygia* M. 20 *littora* M *litora* GN *nota* GN *nata* M. 21 *Spargere et* GN *Spargereque* M *communes* GN *comunes* M. 22 *dira* NM *digna* G. 25 *memo* N *nemo* GM *obiiciat* N *obiciat* GM *libeat tibi* GN *liceat modo* M. 26 *Roscida* G *Rorida* NM *tenere* G *detenere* N *subire* M. 29 *semela* GN *semel* M. 30 *uolarit* GM *uolari* N. 32 *Communis* GN *Comunis* M. 34 *nescit* GN *noscit* M. 37 *me* GNM. 40 *ualet* GN *uale* M.

Accedit autem ad communem huius libri cum Neapolitano originem, quam uix satis ex his cognoscas, confirmandam frequentissimus utriusque in erroribus consensus. Interpolationem autem non solum in prauo poetam emendandi studio deprehendimus, ut III, 15, 41 *cuperent*] *uellent* M. 43 *non ferrum crudele neque esset*] *non ferrum crudele meum est neque* M. 16, 15 *amorem*] *amicam* M. 26, 15 *ob inuidiam*] *prae inuidia* M. 34, 43 *includere*] *componere* M: sed etiam in eis quae ex altera familia, id quod non ita saepe est in hoc libro factum, correcta sunt, ut I, 15, 1 *dura* N *iura* GM. 20, 13 *Nec tibi sit durum* GM *Ne tibi sint duri* N. III, 15, 44 *actiacum* N *adriacum* M *adryacum* G. IV, 16, 29 *tumulus* GM *cumulis* N. In hac igitur huius codicis indole apparet, commodum eum esse Neapolitani libri supplementum et fieri potuisse, ut quae in illo erant et in G uel negligentia uel interpolando corrupta, hic seruauerit

integra. Sic I, 19, 22 *a* pro *e* huius codicis auctoritate firmatur. II, 2, 16 *agat* pro *aget* ex eo receperim, ut coniunctiuus optantis sit: nam nec praedicere longam aetatem Cynthiae potest, et multo suauior optatio. II, 6, 26 *cuilibet* ex M scribendum est pro *quidlibet*, quod quanquam defendi potest talibus exemplis, qualia sunt Prop. I, 11, 26. 19, 11. III, 20, 26, praestat tamen *cuilibet*, non ea quidem sententia, quam Lachmannus Heinsio ad Ouid. heroid. 14, 64 citato aperuit, sed ut ad amatores referatur, eique marito, cuius notionem nupta affert, opponantur. Nam cum impudicitiam puellarum reprehendat poeta, sermone ad generalem sententiam, id quod saepe neglexerunt interpretes, deducto, nuptarum, quas castas esse prae ceteris decebat, libidinem, ut grauissimum huius rei exemplum in memoriam reuocat. III, 15, 47 *Haec* GN *Me* M: opponit enim poeta se ipsum et reliquis uiris et Cynthiae. 28, 8 *iurarunt* M *iurarem* N *iurantur* G. 31, 11 *In quo* M *Et quo* GN. 32, 6 *anus* M *anum* GN, quode uide disputantem F. Iacobum in Iahnii annall. philol. nou. V, p. 254. 34, 33 *inflati somnia* M *inflantis omnia* GN. IV, 1, 40 *ut solito* pro *in solito*, quoniam de G non satis constat, huius certe libri auctoritate recipiendum est. Quanquam enim gaudere possumus in homine, qui compluribus rebus gaudium excitat, non possumus tamen in sono, qui ipse per se laetitiae causa est. Incertius iudicium est, II, 5, 27 *tua quod nūquam deleuerit aetas* M *quod nunquam tua deleat aetas* GN, unde receperunt, quod altera manu in N ascriptum est, *quod non unquam tua deleat aetas*.

Copiosius haec tractaui, quia similis est reliquorum codicum, quibus editores usi sunt, ratio, nisi quod alii magis etiam a correctoribus sunt ad alteram familiam deflexi, alii liberiorem Italorum interpolationem passi et magis a stirpe sua remoti. Ita codex Leidensis 4. 43. membr. saec. XV (L), quem Burmannus Leidensem secundum uocat, olim Alexandri

Petauii*); adeo interdum cum G consentit, ut saepe ad hunc potius, quam ad N accedere uideatur. Possunt autem complura ex hoc libro componi, quae recte in eo dissentientibus GNM leguntur, alia fortasse feliciore casu seruata, alia a correctore reposita, ut I, 13, 28 *abduci* L *adduci* NM *aduci* G. III, 19, 2 *coles* L *colis* GNM. 20, 12 *transilianique* L *stasiliamque* GNM. 29. 40 *laxa* L *saxa* NM *sacra* G. 32, 61 *es mirata* L *es imitata* GNM. IV, 7, 22 *quae notat* L *qua notat* NM *qua nota* G: nam cum G interpolationis suspicionem non effugiat, recipienda est altera scriptura, quam L exhibet, indicant NM. IV, 12, 18 *suae* L *tuae* GNM. V, 1, 1 $\overset{a}{\text{q}}$ L *quam* GNM. 7, 85 *Hic tiburtina iacet aurea cynthia terra* L *Set tiburna iacet hic* etc. N. *Tyburtina iacet hac* etc. G. *Tiberina iacet hic* etc. M. — Ex eis libris, quos tanquam meliores laudare solent editores, ut Palatinis et Uulpii libris negligenter inspectis, perpauca uideo annotata, quae, cum ab optimis recedant, approbationem exigant: ut I, 13, 8 non persuadent *abire*, quod e Palatino chartaceo receptum erat, spernendum esse prae optimorum librorum scriptura *adire*. Pugnans enim proponitur leuis amator contra ingenuum, quem puella excitat, amorem, qua in pugna cum primum impetum non tulisset, omni resistendi studio abiecto cedere incipit. Contra nec adeundi uerbum de iterato impetu, ut Iacobus uoluit, intelligi potest, nec Hertzbergii interpretationem, qui in annotationibus ad germanicam Propertii translationem a. 1838 a se editam amatorem primo gradu lapsum dici putat eum, qui primo puellae aspectu captus sit, imaginis concinnitas fert.

Ei denique codices, quos propter effrenatam, qua omnia peruersa sunt, licentiam praecipue solent interpolatos dicere,

---

*) Usque ad III, 18 prorsus consentit cum editione Ueneta a. 1475, e qua expressa est Regiensis a. 1481, eiusque summus est cum codicibus Regiis et Colbertinis consensus.

ut Uossiani ab Oudendorpio collati, a me iterum inspecti*), Regii, Colbertini, alii, magnus enim horum est numerus, et uix melior Petropolitanus codex, e quo excerpsit nonnulla Clossius in Seebod. horr. philol. III, 2. p. 29, priscae quidem scripturae uestigium, quod non possit melioribus libris stabiliri, nescio an nullum exhibeant, coniecturas autem suppeditant sat multas, nec eas ubique spernendas. Ita I, 6, 10 quod in uno Uaticano et Colotiano legitur *ingrato*, cum in reliquis sit *irato*, id, priusquam Iacobus de *iratus* uocabuli ui passiua probauerit, nam I, 16, 38 non minus commodum est *ingrato* propter u. 36, bene iudico ab Italis restitutum esse, ut puella amorem tam ingrato animo acceptum se missum facturam esse dicat. II, 3, 33 *Hac ego nunc mirer si flagret nostra iuuentus* ita tantum dici poterat, ut poeta nondum Cynthiae amore captum se esse fateretur, seque si id forte eueniat non miraturum esse. Nam nostra iuuentute ipsum poetam significari, non iuuenes Romanos, satis puto argumentum carminis ostendere. Unde, obseruata praeterea sermonis Propertiani in similibus sententiis, II, 8, 40. IV, 2, 8. 11, 1 consuetudine, *flagrat* scribendum esse conieceram: quam coniecturam postea praereptam inueni ab Italo in codice Leidensi 13, ubi *flagr$\overset{a}{e}$t* scriptum uidi. Non minus corruptum est, quod in eiusdem carminis u. 42 nunc fertur *Si quis uult fama tabulas anteire uetustas, Hic dominam exemplo ponat in ante meam.* Nullo enim modo haec praepositionum

*) Seruatur in bibliotheca Leidensi exemplum editionis Brouckhusianae diuersa scriptura duorum codicum Leidensium, quinque Uossianorum, qui nunc item Lugduni Batauorum seruantur, duorum Doruillianorum, quos non inueni, distinctum. Hoc exemplo usus est Burmannus, priusquam quinti Uossiani ita significati: *U. 5 in Suo uel 4 minori membr. in cat. p. 389 N. 81, bonae notae*, scriptura, post reliquos addita, ascripta erat, exque eo transcripsit, quae praef. p. III de octo codicibus notauit. Ceterum uix ullus ex his libris saeculum XV excedat.

collocatio ferri potest, quam non tuentur uersus Ouidiani met. II, 524 *Argolica quod in ante Phoronide fecit* et *heroid.* 9, 96 *damnis diues ab ipse suis*, neque quae Heinsius ad uersum posteriorem et Gronouius obss. p. 456 ed. Platn. collegerunt. Recte codices Leidenses 117, 81, 82 all. *in arte*, quod consueuit Propertius in talibus addere: cf. II, 6, 31. IV, 5, 9. — Sed satius est in uno certe uersu codicum auctoritatem ab Italorum commentis defendere. I, 2, 25 et 26 sic in bonis codicibus leguntur:

Non ego nunc uereor, ne sim tibi uilior istis:
Uni si qua placet, culta puella sat est.

de quibus Orellius eclog. poett. latt. p. 155 ed. 2: *Ut sententia sibi constaret, reuerti ad lect. Italorum et Scaligeri* ne sis mihi uilior. „*Iam certus sum, nunquam fore, ut te, mea Cynthia, posthabeam istis puellis, qui cultu suo uulgo conquirunt amantes cet.*" Quae quidem sententia nec per se admodum grata erat Cynthiae, nec quemadmodum aut huic carmini conueniat, aut cum minore uersu cohaereat perspicio: neque *nunc* quid sibi uelit, aut quomodo se non uereri illa Propertius dicere possit, quispiam intelligat. Quod autem Iacobus coniecit, *Non ego nunc uerear, ne sim tibi uilior istis?*, id quantopere laboret, demonstrauit censor editionum Iacobi, Paldami, Lachmanni in ephemeridd. Lips. a. 1830 p. 509. Lachmannus denique cum haec annotaret: *non uereor, inquit, ne me minoris, quam illos de uulgo amatores facias: quid igitur operoso cultu istos captas? uni mihi si places, culta satis es*, non uidit, non solum *nunc* particulam a se esse praetermissam, sed etiam *placere uis* in tali sententia dicendum fuisse. Ego uero, si uersus Propertianos I, 6, 1 *Non ego nunc Adriae uereor mare noscere tecum* et I, 19, 1 *Non ego nunc tristes uereor, mea Cynthia, manes* mecum considero, hanc uideo *non ego nunc uereor* uerborum uim esse, ut timorem aliquem, quo se ad id quod tum agebat poeta adductum esse

quispiam suspicari possit, sibi inesse neget ueramque aut quam credi uoluit causam deinde substituat. Quodsi ad eum de quo disputamus uersum transferimus, facile apparet, cum poeta ornatum Cynthiae reprehendisset eique heroinas opposuisset, quae uno uiro contentae non ad amatores capiendos se ornassent, puellam non potuisse non suspicari, aliorum amatorum metu commotum esse Propertium, ut a corpore ornando se reuocaret. Hanc igitur suspicionem ueram haud dubie, sed quam demere uult de mente puellae, inanem esse dicit sibique persuasum esse confirmat, se cariorem esse Cynthiae, quam uulgares amatores, ea autem de causa hoc ad eam carmen mittere, quia, si qua puella unius uiri amore fruatur, hanc corporis cultu se abstinere deceat, praesertim cum ingenii decora accedant tam multa. In his igitur *nunc* est *in hac rerum conditione*, *cum haec facio uel scribo*, simili usu, atque quem explicauit Spengelius lectt. in Catull. in Seebod. horr. philol. III, 4. p. 66. Accedit autem, quod usitatum est Propertio in mediis carminibus Cynthiae animum a propria ipsius conditione, qua iram uel timorem peculiari modo excitatum sibi esse suspicari poterat, ad communem rerum conditionem, in qua causa scribendi posita sit, reuocare: cf. I, 11, 17 sq. III, 16, 23 sqq. *)

---

*) Ut in illo quem tractauimus uersu praua Italorum mutatio intellectui obfuit, ita error librariorum in his. Et I, 11, 17 sq. quidem recte scripsit Lachmannus. *Non quia perspecta non es mihi cognita fama, Sed quod in hac omnis parte u e r e t u r amor*, cum in codicibus sit *timetur*, ortum haud dubie ex ascripto a grammatico quodam *timet*, ut IV, 6, 6 pro *timens* in suo libro *metuens* esse ait Muretus. III, 16, 23 sqq. autem sic scribendi sunt:

23 *Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,*
Candida tam foedo brachia fusa uiro,
27 (*Barbarus excussis agitat uestigia lumbis*
Et subito felix nunc mea regna tenet.)
25 *Non quia peccaris* (*testor te*), *sed quia uulgo*
Formosis leuitas semper amica fuit.

Ex his igitur hoc apparere puto, ad eam codicum familiam, quam Groningano codici opposuimus, cognoscendam firmum nos habere adiumentum codicem N, cui si accesserit M, reliquos auxiliarium partes tenere, qui, si quando a bonis libris destituamur, possint aduocari et examinari, num aut forte fortuna aliquid ueri seruauerint, aut probabilem suppeditent coniecturam. Iam uero si quaerimus, utrius familiae maior sit auctoritas, diligenti diuersae scripturae obseruatione sane docemur, stirpem Groningani codicis esse perbonam, sed temporis, quo ab hac stirpe remotus est, diuturnitate factum, ut et negligentia librariorum et interpolatione ab eius integritate ualde deflecteretur. Quod contra Neapolitani bonitas, quamuis minus propter communem huius libri cum aliis permultis originem eluceat, nec tanti fortasse sit per se quanti illa facienda, tamen eo praestat, quod integra est ab Italorum studio seruata. Quam quidem utriusque libri rationem cum non satis constanter tenerent editores, sed Groningani praestantia capti hunc tanquam primum numerarent, alterum Neapolitanum, saepe illius auctoritate in errorem inducti sunt, ubi nos Neapolitanum, praesertim si Menteliani consensus in communi utriusque fonte scripturam exstitisse ostendit, sequendum esse dicimus. Uelut II, 1, 73 *Maecenas nostrae*

Postquam Propertius de nouo, quo amorem turbatum uidit, casu se ipsum consolatus et infausta praetori precatus est (1—5), iterum abreptus indignum esse ait, quod munera uim in amore habeant. Qua sententia in communem locum, ut facere consueuit, traducta in luxuriam quae tum erat et puellarum uilitatem inuehitur. Ad has autem querelas cum Cynthia non possit non putare suo erga praetorem amore poetam esse adductum, solemni formula *non quia* usus, non hac causa, quamuis turpis res sit sibique acerba, se commotum esse dicit, sed quia communis sit omnium formosarum leuitas. Non sine causa enim *uulgo* additum est et primo loco positum. Quod contra uersibus 27 et 28 post u. 26 positis cum generali sententia, a qua seiungenda erat, permiscetur specialis.

pars inuidiosa iuuentae nunc editum est ex G, cum MN *spes* habeant pro *pars*. In qua scripturae discrepantia cum ex indole librorum uerisimile sit, ueram esse *spem*, *partem* autem ab interpolatore intrusam, qui talium uersuum, quales in primo Propertii libro legerat 4, 11. 6, 34. 21, 4, meminerat: firmatur haec sententia uerborum interpretatione. Nam ne dicam dubitari posse, num equitum ordini ascriptus fuerit Propertius, cuius partem eum et se et Maecenatem dicere existimant: non uerisimile est, Maecenatem, etiamsi iuuenis dici potuerit, iuuenibus potius quam uiris annumerari; nec magis credibile, eum quem ut patronum poeta colebat genere et ordine parem dici. Denique quod IV, 9, 57 de eodem Maecenate dicit, *Mollis tu coeptae fautor cape lora iuuentae*, cum hoc uersu, si *spem* accipis, optime congruit, sin *partem*, omni ex parte pugnat. Praeterea inde colligitur, nostram iuuentutem, ut de II, 3, 33 ostendimus, ita hic quoque non iuuenes Romanos, id quod interpolatorem in errorem induxit, sed ipsum Propertium significare. — Magis etiam aperta interpolatio V, 4, 33 sq.

O utinam ad uestros sedeam captiua penates,
Dum captiua mei conspicer esse Tati.

Ubi cum Gronouius obss. p. 579 (IV, 6) in codice Comeliniano, ad quem postea G accessit, *arma* pro *esse* inuenisset, hac scriptura nisus *ora* coniecit, quod omnes inde a Brouckhusio receperunt editores. Sed quod *arma* improbarunt, quia arma Tatii iam uidisset Tarpeia, idem de ore ualet. Quis enim credat, armis et corpore Tatii procul aspectis, nisi uultum quoque uno oculorum obtutu uiderat, amorem puellae excitatum esse? nec est profecto, cur *faciem* u. 21 de reliquo corpore ore excepto dictam putemus. Quare si uidendi desiderio affecta inducebatur puella, eo uti debebat uerbo, quo diuturna contemplatio significaretur, non aspectus, quali et gauisa erat et gaudere, etiamsi in castris non sedebat, poterat. Quo adducor, ut *esse* genuinum existimem,

arma autem correctum, postquam *conspicer* ex uerbo aliquo passiuo errore corruptum fuit. Illud uerbum autem, litterarum similitudine ductus, *nosciter*, quo similiter usus est Catullus 61, 223, fuisse suspicor. — Talia autem dum considero exempla, in quibus sententiae peruersitas docet, interpolatae Groningani scripturae NM codicum auctoritatem male posthabitam esse, tum quoque cum ferri potest utrumque interpolationis suspicio oritur. III, 27, 5 *Seu pedibus Parthos sequimur seu classe Britannos, Et maris et terrae caeca pericla uiae* NM, quibus non praeferri debebat Groningani scriptura *sequitur*. Nihil enim obstat, quominus poeta, postquam frustra num quod homini periculum immineat quaeri dixit; quia ubique praeter opinionem opprimi possit, hanc incertorum periculorum perpetuitatem generali sententia efferat, quae quemadmodum ad rem propositam pertineat legendo cognoscatur. II, 12, 23 nullo modo ex G praeferendum est *quae — canit*, cum *qui — canat* habeant NM, magis etiam usu Propertiano ad enuntiata ita, ut hac scriptura probata de uersu 22 factum est, interposita inclinante. III, 15, 41 *deducere* cum G habeat, NM *decurrere*, prior scriptura, quanquam per se praestans, quoniam altera quoque bona, spernenda est *). Denique apparet, quid iudicandum sit de his, quod IV, 9, 36 *tuta sub exiguo est flumine nostra ratis* ex G praefert Hertzbergius reliquorum codicum scripturae, *tota sub exiguo est flumine nostra mora:* et Iacobus IV, 11, 32, *in sua regna* NM, cum *in sua iura* in G inuenisset, „*iura*", inquit *placent*: et IV, 15, 14 non im-

*) Quod Silligius his verbis usus est ad emendandum Ciris uersum 5 *Tum mea quaeret eo dignum tibi quaerere carmen,* quae sic scripsit: *Tum mea quaeret eo dignum tibi currere carmen*, non persuadet. Nam nec *currere carmen,* ita ut sit *carmen scribere,* dicere posse probauit, nec *mea* ad *sophiam* u. 4 referri potest. Forsitan scriptum fuerit

Tum mens curet eo dignum sibi quaerere carmen.

mittens ex NM, sed *immites* ex G recepit Hertzbergius: et IV, 20, 29 *patefactae* ut exquisitius ex G scripsit uterque pro *patefiant:* et III, 22, 13 putidam Groningani scripturam *mollis et amens*, cum *mollis in omnes* habeant reliqui, argumentando defendere studet Iacobus, quasi non multarum puellarum amore se teneri u. 1 dixisset poeta. Nempe in his omnibus, quorum facile augeri potest numerus, dubitari nequit, quin Italorum commenta arripuerint. Quanquam in nonnullis exemplis fortasse in partes uocanda erat negligentia librarii, quae permagna fuit in hoc codice nec minus saepe in errorem induxit editores. Cuius rei luculentissimum exemplum est I, 18, 17 *An quia parua damus mutato signa c o l o r e:* ubi ex G *calore* probarunt errore certissimo. Nam cum mutatum calorem non remissum amorem, sed alio translatum, quiuis intelligat, eadem quae primo loco posita erat causa repetitur. Color autem mutatus, quem qui hanc scripturam retinent, Burmannus, Kuinoelius, Bosscha actt. societ. Traiect. III, p. 213, Kaestnerus in censura editionis Iacobi in Seebod. bibl. crit. a. 1829. p. 255, non recte pallorem interpretantur, quid in amore significet, optime ostendunt ea quae de Medea narrat Apollon. Rhod. III, 298 sq. Ἔρως· ἁπαλὰς δὲ μετετρωπᾶτο παρειὰς ἐς χλόον, ἄλλοτ' ἔρευθος. Itaque tria ponit poeta, quorum falsa suspicione concepta se ipsum spernere possit Cynthia, primum alius puellae amorem, alterum frigidum se esse amatorem nec sat magna dare aut colore aut uerbis amoris signa, tertium iniuria Cynthiae sibi iram excitatam esse. — III, 14, 29 sqq.

Nunc ad te, mea lux, ueniat mea litore nauis
Seruata! an mediis s i d a t onusta uadis?

sidat N *sudat* M *sistat* G. *Sistat* omnino uerum esse male contendit Iacobus. Nam quod *sidat* spreuit, ne eadem sententia u. 32 repetatur, id ipsum erat in defensionem uertendum. Postquam enim timere se significauit, ne in medio cursu nauis intercidatur, mox imagine detracta et ipsa re

saeuissima ante oculos posita, num id fiat, in sola puellae potestate positum esse dicit. Quid, quod *an* particula postulat, ut contraria sit eis quae antecedunt sententia? qualis non efficitur eo, ut nauis quanquam commorata tamen seruetur et ueniat, sed ut undis mersa omnino non ueniat. Non minus falso iudicio ex G II, 7, 7 *discindere* pro *discedere*, IV, 15, 21 *seruire* pro *seruare* Iacobus probauit et V, 2, 5 *nec* pro *haec*, quod propter oppositam inter se utramque urbem non dubito quin uerum sit, Merkelius proll. in Ouid. fastt. p. CCXLIX scribi uoluit.

Sed satis de Groningano codice dictum. In Neapolitano autem propter communem cum plurimis libris originem cauendum est, ne temere quae e librarii errore orta sunt probentur eaque de causa, contra faciente Groningani cum reliquis libris maxime M consensu, nisi aliae accedunt rationes non est hic liber sequendus. Itaque IV, 7, 25 *positaque* scribendum est, non *posita est*: nec IV, 22, 35 satis causae est, cur N secuti *nec* pro *non* scribamus. Contra praestantia codicis, qua recentiores libros superat, apparet in talibus I, 11, 28 et III, 24, 32 *discidium* N, consentiente in priore uersu Leidensi codice 38, qui reliquis paulo antiquior esse uidetur, *dissidium* rell. III, 33, 37 *demissae in pocula sertae* N, Charisius p. 83, *demissa in pocula serta* rell. IV, 8, 37 *nexisti* N, Diomedes p. 366, Priscianus p. 903, Nestor Nouar. u. necto, *tendisti* rell., correctum e talibus, quale Prop. III, 32, 20 *tendis iners docto retia nota mihi.* — III, 15, 49 *Tu modo dum luc e t fructum ne desere uitae* N *liceat* rell., numeris, postquam *licet* scriptum fuit, restitutis. Respexit autem poeta ad u. 24. Non minus auxilium affert, sed cui diuinando subueniendum sit, his uersibus IV, 15, 31 sqq., uulgo sic scriptis:

Ac ueluti magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus in aduersos (sub aduerso N*) desinit ire*
Notos (notho N*),*

Litore sic (sit M *si* G*) tacito sonitus rarescit arenae:*
Sic, cadit inflexo lapsa puella genu,
Sera, tamen pietas: natis est cognitus error.

In quibus cum certum sit, sublatam Antiopae calamitatem cum undis sedatis comparari, ita ut *Ac ueluti etc: sic — sera etc.* coniungenda sint, non multum refert, utrum u. 32 *Eurus in aduersos desinit ire Notos* et u. 34 *cadit inflexo lapsa puella genu* sine coniunctione interposita esse dicas, an cum Iacobo *ut aduerso — Noto* et *ut flexo* uel cum Lachmanno *ubi aduerso — Noto*, altero uersu non mutato, scribas: in uersu 33 autem siue *sic* probas, siue *si* uitiosa est oratio. *Sic* enim si scribis, ut ratio significetur, qua fiat, ut sonitus rarescat, de quo usu *sic* particulae uid. Prop. I, 16, 47. III, 14, 20. 25, 40. 29, 41, magnopere id languet post positam in priore enuntiati membro *cum* particulam nec intelligi a quoquam poterat. Sin *si* scribis altera ratione, quae Hertzbergii est, qui sic uerba uertit: *Dann wie nach tobendem Schwall die Woge des Meeres sich leget — Eurus rastet im Kampf gegen den rasenden Süd —, Wenn am schweigenden Strand nur leise noch murmeln die Dünen*, litoris silentium, quod aquis compositis fit, inepte causa huius rei dicitur, altera ratio a Lachmanno proposita, ut *ac ueluti rarescit* interpositis duobus sententiis, *cum — ponunt* et *ubi — desinit*, coniungatur, artificiosior est, quam quae tribui poetae queat. Itaque corruptos esse uersus duco et sic ex Neapolitano codice emendandos, ut quod u. 32 exhibet *sub* recipiatur in u. 33, in illo autem uersu, cum *aduerso* et *Noto* uerum esse uideatur, *et* scribatur. Scribendi igitur uersus sunt sic:

Ac ueluti, magnos cum ponunt aequora motus,
Eurus et aduerso desinit ire Noto,
Litore sub tacito sonitus rarescit arenae,
Sic (cadit inflexo lapsa puella genu) Sera etc.

Nam cum in codice aliquo *sic* esset pro *sub* scriptum, uera

scriptura in margine uel supra lineam apposita, haec a reliquis neglecta est, in N autem falso loco occupato *et* particulam negligentius scriptam eaque de causa ab aliis in *in* mutatam expulit. *Sub litore* autem ita dictum est, ut *sub ualle* dixerunt, quode uid. Burmann. ad Ouid. met. 1, 689. Nam cum et uallis omne quod inter montes spatium est significet, nec litoris nomen eo loco qui aqua tangitur contineatur, si qua res in eis posita est, magna huius spatii pars supra eam est. Quanquam Propertii uersum melius fortasse intelligimus ex Ouid. a. am. 1, 620 *Ut pendens liquida ripa subitur aqua* *).

Facilis hinc transitus ad tertium locum, ut, quemadmodum e diuersis quae in G et in reliquis libris seruata sunt pristinae scripturae uestigiis id quod uerum est restitui possit, doceatur. III, 18, 5 sq.

Quid, si iam canis aetas mea candeat annis,
Et faciat scissas languida ruga genas?

5 *me candeat* G *mea caneret* M *mea si canis aetas canesceret annis* N 6 *faciat* G *faceret* NM. Uersus ita ut dedi non recte se habere ut putem, non solum sententia me adducit, quae, cum summa in eo posita sit, ut contrarium eius quod ponitur uerum sit, imperfecti coniunctiuum sibi flagitat, eoque usus est poeta in simili sententia II, 9, 29 sq. *Quid, si longinquos miles retinerer ad Indos, Aut mea si staret nauis in oceano?*, sed etiam scripturae discrepantia, quae ita comparata est, ut non dubitem, quin *candeat* et *caneret*, ad quod interpolata Neapolitani quoque scriptura ducit, sint ex alio uerbo corrupta, deinde autem ad concinnitatem restituendam in G *faciat* correctum. Huiusmodi autem uerbum, ex quo et ad *caneret* et ad *candeat* procliuis error fuerit, non inuenio aptius, quam *tenderet*, quod eadem

*) *Sub* in uersu 33 nunc demum uideo a Liuineio quoque restitutum esse.

significatione, atque qua I, 6, 31 de terra dixit *mollis qua tendit Ionia*, ad aetatem poeta transtulit. — V, 9, 21 sq.

Dixerat, et sicco torret sitis ora palato,
Terraque non ullas feta ministrat aquas.

21 *torret* G *torquet* NM 22 *faeta* N *foeta* M *festa* G (sic Francius quoque in exemplo editionis Aldinae a. 1515 cum codice Groningano collato, quod in bibliotheca Leidensi seruatur, annotauerat: ut non debeat dubitationem mouere Merkelius proll. in Ouid. fastt. p. CCLII). Fetam terram alii aliter explicauerunt, neque tamen ut aut sententiae satisfacerent aut usum Latinorum obseruarent. Aegre autem caremus siccitatis notione, ad quam praeter sententiae commoditatem pulueris mentio u. 31 facta nos ducit, eamque in simili sententia posuit Apollon. Rhod. I, 1147, cum Dindymum διψάδα κορυφήν diceret. Nec efficit quod desideramus Iacobi interpretatio, qui fetam dici terram existimat, quia aquas ediderit. Nam ut omnem aquam terram effudisse significetur, certe effeta dicenda erat. Quare nescio, annon *tosta* scriptum fuerit, quod postquam in *fosta* abiit, hoc ita in duas partes deflexum est, ut alter librarius *foeta* scriberet, alter *festa*. Ceterum si quem offendit repetitum torrendi uerbum, facile potest in priore uersu *torquet*, quod maiore librorum auctoritate firmatum est, recipere. — Uides autem, tam exiguam esse harum scripturarum, quas coniunximus discrepantiam, ut utraque familia, si modo hoc nomen ad minorem stirpis diuersitatem traducere licet, non longo annorum interuallo uideatur a communi fonte discreta esse. Unde magna oritur suspicio, male rem gessisse Iacobum in emendando III, 32, 23 sq.

Nuper enim de te nostras me laedit ad aures
Rumor et in tota non bonus urbe fuit,

cum e Neapolitani scriptura *me laedit* et Groningani *peruenit* procuderet *mala uenit:* in quibus ne *mala* quidem uox, qua non memini ad amicam compellandam ullum poetam uti,

placet. Admodum autem probabile est, illud *peruenit* interpolatoris esse, qui, cum corrupta esse uerba intelligeret, tritissimae apud Ouidium maxime locutionis (uid. Burmann. indic. Ouid. *peruenire*) meminit: ut soli N superstruenda sit emendatio, quam, quia plura uerba proponi posse uideo, nescio num assecutus sim, cum *meleditad* ortum esse suspicor ex *insederat*. Sed in plusquamperfecto tempore ne quis offendat, quia multa de eo sunt in diuersas partes disputata (uid. quos Haasius ann. in Reisig. scholl. gramm. p. 504 sqq. citauit, quibus addendus imprimis Petri excursus II ad Cic. Brut. p. 260 sqq.), non abs re fore credo, si ad coniecturam meam ab hac parte defendendam Propertii usum satis in hac re singularem explicauero. Non posui autem nisi indicatiui exempla, quoniam coniunctiui plerumque alia ratio est.

1. Plusquamperfecto igitur tempore cum ea quae ante aliam rem ipsam quoque praeteritam facta sunt efferamus, simplicissima sunt haec exempla, quae illam rem adiectam habent. II, 1, 63 sq. *qua cuspide uulnus Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.* III, 14, 6. 22, 11. 26, 3; 18. 28, 23. IV, 7, 31. 12, 30. 16, 9. 18, 15. 19, 23. 23, 3; 5; 6; 11 (cf. uersus 1). 24, 14. V, 6, 66. 7, 9; 10. 8, 70. 9, 2; 24; 63; 73. Saepe autem, ubi non multum intererat, num quid factum esse ante aliam rem diceretur, an utraque res narrando ob oculos poneretur, poeta quae aequalia uideri poterant, diuersis temporibus assignare maluit: I, 3, 17 sqq. *Non tamen ausus eram dominae turbare quietem, — Sed sic intentis haerebam fixus ocellis.* I, 11, 29 sq. *Multis ista dabant litora discidium, Litora, quae fuerant castis inimica puellis.* Dabant enim discidium, postquam amatore suppeditato inimica se praebuerunt. III, 29, 3 *Obuia, nescio quot pueri, mihi turba minuta Uenerat, 7 Sed nudi fuerant; quorum lasciuior unus: Arripite hunc, inquit.* Plusquamperfecto assignauit, quae, antequam ea a quibus narrationem incipit fierent, uiderat. V, 9, 28 *luxerat igne casa - ruit.*

His exemplis obseruatis III, 31, 7 *Atque aram circum steterant armenta Myronis* non uideo quomodo explicari queant, nisi post u. 16, id quod per se probabile est, excidisse statuamus ea, ante quae haec omnia uiderat Propertius, IV,3,1 *Uisus eram — hiscere posse*, 5 *admoram fontibus ora*, 7 *cecini*, ut recte ex Iacobsii coniectura florileg. poett. latt. p. 205 proposita, quam non intellexit Hertzbergius annall. Halenss. a. 1839. p. 1039 pro *cecinit* ediderunt Lachmannus et Orellius. Nam spiritu capto et ore admoto cecinisse se narrat. I, 20, 23. II, 8, 31; 33. III, 22, 25. IV, 3, 25. V, 6, 55. 9, 21. 8, 82. 6, 25; 31. 4, 87. 8, 54. 10, 16. — 2. In aliis uersibus ad praesens tempus relatum esse uidemus plusquamperfectum, non quo perfecti uim induat, sed quoniam praesens rerum conditio ex alia originem duxit, illud temporis momentum, quo facta est mutatio, dum euentus durat, praeteritum, in animum poeta reuocauit, ad hoc ut plusquamperfectum referret. III,28, 17 sq. *Io uersa caput primos mugiuerat annos: Nunc dea, quae Nili flumina uacca bibit.* Mugiuisse dicit Io, priusquam dea, qualis nunc est, fieret: cf. u. 23. I,10, 1 sq. *O iocunda quies, primo cum testis amori Affueram* etc. ita dictum est, ut non ad eam, qua tum cum haec scribebat utebatur, animi conditionem, qua iucundam sibi fuisse quietem dicere poterat, respiceret, sed ad huius conditionis uoluptate primum finita initium. 12, 11 *Non sum qui fueram* h. e. tum cum Cynthiae ad hanc me calamitatem adegit. 16, 1. 20, 13 sqq. *Ne tibi sit — expertos semper adire lacus, Quae miser ignotis error perpessus in oris Herculis — fleuerat.* Fletu Herculis finito primum quod nunc compertum habent lacus experti sunt. III, 13, 37 sq. *Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri, Quam fuerant Phthii busta cruenta uiri*, h. e. quam nota sunt busta, quae, postquam cruenta fuerunt, innotuerunt. IV, 24, 19 sq. *Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono. Exciderant surdo tot mea uota Ioui.* Uersu 19

enim dicto donatio facta erat. V, 7, 15. — 3. Non multum ab his distat tertium genus, cum res praeterita, ad quam plusquamperfectum referri necesse est, ex hoc ipso repetitur. Nam si quid ponitur, quo facto aliqua rerum conditio efficitur huius quoque conditionis initium, etiamsi ipsa durat, ita praeteriit, ut animo ad hoc relato illud quod narratur plusquamperfecto tempore efferri possit. IV, 11, 65 *Haec di condiderant, haec di quoque moenia seruant.* Condiderant, inquit, di moenia tum cum primum ita ut nunc uidemus condita stabant. I, 19, 10 *Thessalis antiquam uenerat umbra domum* (tum cum aderat, quam nunc affuisse dicimus). 20, 4 *Crudelis Minyis dixerat Ascanius* ex GM, non *dixerit*, ut solum N secuti ediderunt, quo admodum contorta fit sententia, scribendum est. Intellexerunt enim Minyae, postquam dixit Ascanius. II, 2, 13 *Cedite iam diuae, quas pastor uiderat olim.* Respexit poeta ad ea quae hic aspectus effecit. Uix diuersa sunt ea exempla, in quibus ipsa res, quae plusquamperfecto ponitur, per longius tempus durauit, ita ut ad id temporis momentum quo esse desiit animus respiciat. II, 8, 10 *Et Thebae steterant* (tum cum perditae sunt) *altaque Troia fuit* (nunc cum perdita iacet). II, 3, 34. 6, 1 sqq. *Non ita complebant Ephyreae Laidos aedes — Turba Menandreae fuerat nec Thaidos olim Tanta* h. e. tum cum esse desiit. IV, 8, 1. V, 5, 69. IV, 11, 29 *Quid modo quae nostris opprobria uexerat armis?* Respexit ad cladem Cleopatrae, qua factum est, ut uehi desineret. IV, 13, 35 sqq. 12, 37. I, 15, 9 sqq. *At non sic Ithaci digressu mota Calypso Desertis olim fleuerat aequoribus. Multos illa dies sederat.* Exspectabamus potius *flebat* et *sedebat*, quod si dedisset poeta, in mediam rem nos abriperet, in hac ut quaereremus, quocum simul illa fierent: quod contra plusquamperfecto ad finem eius rei legentis animum reuocauit. — Apparet ex his in eo uersu a quo profecti sumus non solum plusquamperfectum ab eis quae tertio loco posuimus excusa-

tionem habere, sed ne in hoc quidem, quod cum perfecto coniunctum est, offendendum esse.

Sed iam fere uersatus sum in altera commentationis parte, qua in communem ad quam nostris codicibus ducimur, stirpem inquirere propositum est: de quo priusqunm dicatur pauca sunt de Puccii excerptis interponenda. Franciscum Puccinm enim scimus exemplum Regiense a. 1481 correxisse, fundamento emendationis usum codice Bernardini Uallae, quode uide Iacobi et Santenii praefationes et Spengelii lectt. Catull. in Seebod. horr. phil. III, 4. p. 93. not. 2 et 3. In hoc autem negotio cum ita uersaretur, ut praeter illum codicem et commentarios aliorum, maxime Beroaldi et Calderini (uid. quae notauit ad I, 1, 10. 8, 7. 15, 33. III, 13, 1. 21, 12. IV, 22, 15. V, 5, 58) adhiberet, et ipse multa de suo mutaret, factum ut saepissime intelligi nequeat, quam ea quae ascripsit auctoritatem habeant. Ad discernendam autem codicis scripturam a coniecturis, siquidem raro codicem se sequi testatur, cum duae pateant uiae, altera ut uideamus, num possit probabiliter quod ponit cum bonorum librorum scriptura conciliari, altera ut eos qui praeter Puccium aut eodem codice aut huic simili usi sunt, id quod praeter Beroaldum, nam de Perreio dubito, num ipsum librum inspexerit, imprimis suspicor ab eis qui libros Uaticanos et Colotianum scripserunt factum esse *), cum his excerptis conferamus: admo-

*) Ut Puocii cum his libris, Uaticanis 1. 2. 3. 4. 5 et Col., consensus perspiciatur, per quintum librum ea quae e codice se sumpsisse testatur cum illorum librorum scriptura, quoad quidem e Burmanni apparatu cognosci potest, leuiter quid in reliquis libris sit indicato, componere uisum est. 1, 26. *licens* P all. 73. *aduersus* (*auersis* 5) *musis* P 1 2 5 Col. *accersis* uel *arcessis lacrimis* uel *lacrimas* rell. *cantas* P 1 Col. all. *cantus* 2 all. *charites* 5 *auersus apollo* P all. *auersus apollo est* 1 2 5 Col. 3, 8. *naricus* P 1 2 *euricus* G *hericus* rell. 47. *pater* (*niger* 2) *atlas* P 2 5 *pater altas* rell. 5, 21. *dorozantum* P 1 2 all.

dum lubrica est utraque ratio, altera autem, nisi accuratius, quam nunc fieri potest, illorum librorum indole perspecta, ne potest quidem num quam utilitatem habeat intelligi. Quanquam haec mihi uideor posse affirmare, primum Uallae codicem fuisse optimum et tertiam quandam continere familiam, neque tamen ab interpolatione fuisse uacuum, deinde, cum nec codicis scriptura in Puccii excerptis sat certo cognosci possit, nec, si cognita sit, quam auctoritatem habeat propter indolem libri non satis perspectam definiri, Puccium, si modo quod in bonis libris est ferri per se aut probabiliore coniectura mutari potest, non esse sequendum. Hinc intelligitur, quo iure Iacobus IV, 13, 10 *haecque terunt* e Puccii excerptis receperit, durissimo *que* particulae usu, quam uix unquam in complurium rerum enumeratione demonstratiuo pronomini addiderint Latini: bene contra Guyetus apud Heinsium nott. in Prop. p. 727 e codicum scriptura *quaeque terunt* restituit *quaeque gerunt*. Neque rectius IV, 14, 17 *ad undas* ab eodem accepit, cum e codicum scriptura *habenis* du-

---

56. *aere* P. 1 2 Col. all. 68. *percula* P *pergula* 134 all. *pocula* 2 all. *pertica* 5 Col. *curta* P 1 2 3 4 5 Col. *curua* rell. 6, 3 *philetaeis* P *philethaeis* 2 *philiteis* 5 *philippeis* rell. 7, 72. *colchidos* P 1 2 *doridos* rell. 9, 8. *iouem* P 1 2 5 all. 11, 30. *uera* P *sera* 2 *uersa* 1 Col. 2 marg. *aera* plerique. Ex eis, in quibus nescimus, quam auctoritatem P secutus sit, per V, 6 quorum uersuum scriptura ex P et illis libris simul nota est ascripsi 4. *Atque* P duo Uaticani *Et* rell. 8. *modis* P tres Uaticani Col. *cadis* rell. 21. *tenero* P *teucro* 1 rell. 22. *acta* P tres Uaticani Col. G *apta* plerique 28. *illa* P 2 *unda* rell. 45. *En* P 1 *Et* rell. 48. *et multo* P 5 all. *inuicto* all. 72. *blandidulaeque* P *blandidutaeque* duo Uatt. *blanditiaeque* rell. 75. *potis* P 2 positis rell. 81. *aliquid* P all. *aliqua* duo Uatt. Editio princeps quoque a. 1472, e qua nonnulla excerpsit Merkelius proll. in Ouid. fastt. p. CCXLIX sqq. interdum mire cum Puccio consentit.

dum restitutum sit *arenis:* aut III, 26, 36 *turbidus* pro *frigidus* probauit: aut III, 29, 19 *spondeo* eodem auctore scripsit, tanquam elegantius, quam quod codices praebent *spondet*, quasi uero ille puerorum dux potuisset sodalibus amorem Propertii spondere, nisi ipse aliquam ab eo ante acceperat sponsionem. III, 30, 19 autem

Num iam, dura, paras Phrygias nunc ire per undas

ut uerum esse censeam, non *dure* cum Iacobo et Lachmanno a Puccio accipiam, totius carminis indoles me mouet: quod cum e duabus partibus constet, quarum prior usque ad u. 22 pertinet, in hac si oratio non ad Cynthiam sed ad Propertium conuersa est, nullum inter utramque uinculum intercedit. Agit autem hoc poeta, ut Cynthiam amorem sui abiicere parantem ab hoc consilio reuocet. Et primum quidem uim et naturam Amoris, quam effugere frustra quis studeat, ob oculos ponit, deinde mollis uitae suauitatem describit, tum vero, siue militem se lucri faciendi causa secuturam esse puella significauerat, siue extremae immanitatis exemplum poeta ponit, huic uitae duram ad quam se ipsa accingat uiuendi rationem opponit. Quaerit igitur, num ultimas terras adire et externae caedis (sic recte fortasse Guyetus: *alterna caedes* enim huc non pertinet) uel aspiciendae uel perpetrandae patiens tam saeua ratione lucrum facere animum induxerit. Mox uero, sic enim res cogitanda, secum reputat, num deceat et famae reprehensionem effugiat, cum multarum paratus sit amor, unam tam anxie curare. Quod crimen postquam indignabundus a se remouit, oratione ad Cynthiam reuocata amatoriae poesis dulcedinem, qua secum fruatur optat, id quod suauissimae imagini subesse uersus 37—40 maxime docent, ei proponit. Quanquam uero eo consilio hanc imaginem excitauerat, ut Cynthiae animum molliret, tamen sui quoque quo Cynthiam retinet studii duplicem inde excusationem petit, alteram a rerum, quas cum puella auditurus sit, argumento sumptam et ipsi descriptioni interposi-

tam, quod Amori cedere non dedeceat, alteram in fine additam, quod sine Cynthiae amore nihil ualeat ingenium suum. Contra II, 3, 15 non e GNM

Nec si qua Arabio lucet bombyce puella

scribendum erat, sed quod P praebet *Nec si quando Araba lucet*, siue e codice petitum est, siue coniectura, qua non inuenio probabiliorem, restitutum, recipiendum. Illud *siqua* enim qua ratione *si forte uel quandocunque* sit, ut Iacobus uoluit, non uideo. Quod autem incerto loquendi genere certum hominem significari dicunt, quem usum illustrare studuit Isaacus Casaubonus, qui in exemplo editionis Scaligeranae, quod Lugduni Batauorum seruatur, haec ascripserat: *Hoc loq. genus uulgo usurpari uideas, ut si duo rixantur et dicat alter: Puis qu'on sera plus riche il ne fault pas .... cela etc.:* id quam ab hoc uersu alienum sit, ipsum Casauboni exemplum ostendit. Nempe generalis ponitur sententia, quae quemadmodum ad id quod agitur pertineat, dum audimus cognoscitur, uelut cum Propertius III, 13, 9 sq. dicit *Non ego sum formae tantum mirator honestae, Nec siqua illustres femina iactat auos*, in hac nobilium et formosarum puellarum numero Cynthiam esse quiuis intelligit. Qua generali et incerta ratione quominus hic quoque eum usum esse statuamus, ea quae inde a uersu 17 de sola Cynthia dicta sunt prohibent.

II.

Itaque si quis diuersa codicum Propertianorum genera discernere uelit, tres constituere poterit familias: quarum prima, quae, quanquam multis libris continetur, satis ex N praesertim assumpto M cognoscitur, quia incorruptissimam eius habemus notitiam pro fundamento criticae artis habenda est, caute usurpata altera, quam G continet, summam affert utilitatem, tertia denique, quam Bernardini Uallae codex prae

se ferre uidetur, ut optima est., ita exigua propter incertam testimoniorum fidem utilitate. Sed quoniam his libris accurate inspectis ad unum ducimur codicem e quo nescio qua aetate, puto autem, ut dixi non ita antiqua, ei quos habemus libri diuersas in partes deducti sunt, hunc ipsum uitiis non caruisse eaque peraeque per nostros codices diffusa esse necesse est. Quae cum docere instituimus, quemadmodum sananda sint, id agimus, ut uersibus nonnullis, quos sententiarum nexu ducti probabiliter emendauimus, compositis uaria statuamus uitiorum, quibus ille codex corruptus fuerit, genera.

Et primum quidem per se intelligitur, litterarum similitudinem, ut in omnibus libris manu scriptis factum est, ita in hoc negligentiam librarii in errorem duxisse. Sed ne praetermittam hunc locum, paucos uersus hac ratione corruptos emendabo. I, 7, 16

Quod nolim nostros euiolasse deos

quam inepte sint a prioribus interpretibus explicata, apud Burmannum videas. Contra Iacobum autem haec annotantem, orationem esse minitantis, *quod* autem absolute positum, ut sit *propter id*, praeter intolerabilem quam sequi uidetur uerborum constructionem, siquidem addendum erat *te*, unum moneo, *nolim* non esse minantis, sed amice optantis, quod alienum ab huius carminis tenore. Quanquam enim scio, iocosum potius fastidiosi amici castigatorem, quam grauiter de iniuriis illatis irascentem, se gerere Propertium, tamen superbus et confidentiae plenus poetae animus, quem inde a primis uersibus, quibus nescio an non suauis quaedam adhaereat simulatio, crescentem uidemus, non id agi ostendit, ut Ponticus a sollicito de eius salute poeta molliter rogetur, sed irrisorem iamiam poenas daturum a perito rerum futurarum uate, ut finem irridendi faciat, admoneri. A quo argumento omnis optatio, qualis *nolim* uoce infertur, abhorret. Itaque apparet, non minus reiiciendam esse Beroaldi scripturam, quam plerique probarunt, *Quod nolim nostros euoluisse*

deos. Sed ut in illa scriptura praeterea constructio uerborum laborat, ita in hac, id quod contra Lachmannum quoque *nolis-euoluisse* scribentem ualet, euoluendi uerbum offendit: quod sic translate nec potest dici, nec dictum est unquam, nisi de multitudine fatorum, quae cum ante in fuso Parcarum complicata essent, iam dicuntur explicari. Itaque cum et *nolim corruptum* sit, nec euoluendi uerbum huc pertineat, non uideo, quomodo facilius possint uerba emendari, quam ut *quod noli nostros heu uiolasse deos* scribamus. Postquam enim Ponticum quoque ab Amore concussum iri praedixit, his uerbis, priusquam coeptam orationem ad finem deducat, interpositis Ueneri et Amori, ut illam calamitatem effugiat, parcere eum iubet. In qua sententia *quod* ita, ut ad sententias copulandas cum aliis coniunctionibus, tum rogantis orationi addi solet, de quo usu uid. Theodorus Schmidius ad Hor. epistoll. I, 7, 94, positum est. Praeterea inauditum euiolandi uerbum Heinsii coniectura recepta expuli. Ubicunque enim uerbis et praepositionibus iunctis noua uerba a bonis poetis, multo in hoc genere quam posterioris aetatis scriptores, quorum summa licentia erat, accuratioribus, inducta sunt, hanc ab eis legem seruatam esse inuenias, primum ut quam illi uerbo praepositione afferri uoluerunt uim aliorum uerborum exemplo constituerent, deinde ut iustam causam contineat sententia, cur noua significatio procudatur. *Ex* autem praepositio uerbis addita cum in plurimis propriam loci significationem uarias in partes deflexam retineat, in aliis haec ita ad rerum conditionem transfertur, ut quod antea latebat ea uirium intentione, quam uerbum significat, in lucem prouocari dicatur: unde rei effectae uel facinoris ita, ut suum habeat euentum, ad finem perducti notio oritur. Itaque *edocere* est ita docere, ut docendi munere in aliquo perfungamur eumque doctum e disciplina dimittamus, *enecare* ita necare, ut omni ex parte mortuus iaceat: neque aliter dicitur *euincere*, *effligere*, *emori*. Cuiusmodi uerba quan-

quam multo usu saepe ita a propria potestate deflexa sunt, ut non uideantur nisi maiore ui a simplici uerbo differre, tamen ubi noua uerba inducuntur usu deficiente non potest solam augendi uim praepositio afferre, sed retinenda est propria rei perfectae notio. Quare euiolandi uerbum si quis induxit, non poterat quisquam nisi hominem ita uiolantem cogitare, ut is quem uiolare dicitur prorsus uiolatus iaceat. Hanc autem notionem tantum abest, ut sententia quam Propertius posuit postulet, ut ne apta quidem uideatur nec ulla cogitari possit ratio, qua simplicem uiolandi significationem immutari necesse sit. Contra IV, 3, 21 satis causae erat Propertio, cur nouum uerbum *seuehi* procuderet, erat etiam Horatio epistoll. I, 18, 18 cur *elatrem* induceret, inauditum, quod sciam, ante uocabulum: at non erat eidem Horatio carm. I, 5, 8, cur *aspera Nigris aequora uentis Emirabitur insolens* diceret. In quibus cum inauditum sit *emirari* uerbum nec a quoquam praeter Luctat. Placid. p. 849 ed. Stau. usurpatum, nam Apuleio met. p. 149 ed. Elm. ab Oudendorpio contra optimorum librorum auctoritatem obtrusum id esse uidere poterant, frustra operam consumunt, ut ad aliorum uerborum similitudinem Horatium se accommodasse ostendant. Quod etiamsi contingat, non sufficit ad id quod uolunt defendendum. Itaque non dubito, quin, quam Propertio admouimus medicinam, ea Horatio quoqne salutem afferat, ut *Heu mirabitur* scribatur, quod Schneidewinum memini, praeceptorem carissimum, in societate philologica Gottingensi, cui eo moderante olim interfui, coniicere. Mutandi autem facilitas ut commendetur, conferatur Prop. III, 12, 15 *Euolat e nostro quoniam de pectore nusquam*, ubi recte Muretus *heu nostro.* Et sic fortasse Tibullo I, 6, 33 sq. *tua si bona nescis Seruare, heu frustra clauis inest foribus* restituendum. — Sed pergo in Propertio emendando. I, 8, 21 sq.

Nam me non ullae poterunt corrumpere taedae,
Quin ego, uita, tuo limine uerba querar.

Quae uerba corrupta esse multi uiderunt, nec ego mihi patiar persuaderi, *uerba queri*, nisi quid adderetur, dici potuisse a bono poeta. Rectissime autem Lachmannus in *uita* uoce uitium latere uidit. Quanquam quod ipse proposuit, *fida*, nec per se satis aptum est, siquidem fida uerba ea potius, quibus confidi potest, quam quibus fidum profitemur amorem, dicimus, nec mutationis probabilitate commendatur. Itaque et sententiae mihi uideor et codicum auctoritati melius consulere, cum *multa* scribendum esse coniicio: quod cum hoc compendio *mlta* scriptum esset, una lineola a *uitta* uel *uicta*, quod saepissime pro *uita* ponitur distabat. Atque haud scio, an non hac ratione scripturae discrepantia, quae est V, 6, 48, *inuito* N *et multo* GM, orta sit. Sed quoniam scribendi compendio erratum esse uidemus, eadem ratione corruptum esse arbitror I, 12, 1 sq.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen,
Quod faciat nobis conscia Roma moram?

Nam *consciam Romam* cum nihil sit quo intelligatur esse eam, quae amoris Propertii conscia sit, haec sic per se dici nequeunt. Nec uero possunt, quae ab aliis proposita sunt probari, *Cynthia amore moram* uel *Cynthia, Roma, moram*, ut urbem poeta alloquatur, uel quod Hertzbergius nuper coniecit, post elegantissimam autem Mauricii Hauptii de longarum syllabarum ante breues uocales elisione obss. critt. p. 15 sqq. uix ipse teneat, *conscio amore moram*. Ego, si modo *conscia*, de quo uix dubitaverim, uerum est, nullum inuenio nocabulum, quod mutando remoueri queat, nisi *nobis*, quod e primo uersu facile intelligitur. Hoc igitur ex *uen'is* h. e. *ueneris* ortum esse suspicor. — V, 3, 47 sq.

Nec me tardarent Scythiae iuga: cum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.

Egregie Lachmannus *Arctoo* pro *Africus* coniecit, nisi quod probabilius *acriter* h. e. *acrit'* in *afric'* mutatum esse coniicias. Nam quod Hertzbergius proposuit *Aprico* aegre fero

de frigore dictum, nec satis id defenditur uersu Propertiano V, 10, 18 *Qui tulit aprico frigida castra lare.* — III, 17, 3 sq.

Horum ego sum uates, quotiens desertus amaras
Expleui noctes, fractus utroque toro.

Uerba *fractus utroque toro* si integra essent, duplicem continerent querelam, alteram quod puellae desiderio uigiliis fractus fuisset poeta, alteram quod utrumque torum solus obtinuisset. Causa enim, cur fractus fuerit, siquidem non ipse lectus eum fregerat, ablatiuo indicari nequit. Uerum hoc postulat orationis conformatio, cum is qui, praeterquam quod fractus est, in toro iacet, toro fractus esse dici nullo modo possit. Quare dubitari nequit, quin *stratus* scripserit Propertius. — IV, 3 27 sqq.

Hic erat affixis uiridis spelunca lapillis,
Pendebantque cauis tympana pumicibus,
Ergo Musarum et Sileni patris imago
Fictilis et calami, Pan Tegeaee, tui.

Comminiscuntur interpretes nescio quam *ergo* particulae potestatem, quam reliquis apertius professus est Guilelmus Canterus nouu. lectt. IV, 6, ubi *ergo* pro *deinde* positum esse docuit. Quam doctrinam, quanquam uix alio nisam fundamento, quam quod *igitur* particula apud antiquissimos poetas similiter usurpatur, tamen secuti sunt multi, nec fugerunt, quamuis studiosi uitandi Iacobus et Orellius eclog. poett. latt. p. 162, quorum ille *ergo* inquit, *transitum parat ad rem grauiorem*, Orellius uero haec annotauit: *ergo h. l. non proprie quidem significat tum uel deinde, sed inseruit tantum continuandae orationi cum maiore aliqua ui.* Melius quidem, neque tamen ut prorsus reliquorum uitium fugeret, Lachmannus nouo enuntiato ab *ergo* uoce inchoato et *hic* aduerbio post eam inserto *ergo* ita positum esse dicit, ut id de quo dictum sit uberius exponat. Nimirum quod commune horum omnium est, ut inchoatam orationem *ergo* uoce

continuari dicant, id prorsus ab hoc loco alienum. Propria enim huius particulae uis, quae in argumentando posita est, in illo quoque usu ita semper ualuit, ut eorum quae sic annectuntur causa, quia non prorsus noua sunt, sed exspectantur quodammodo, sit in eis quae antecedunt posita: uelut cum pergitur in argumento, quod postquam aliis interpositis interruptum est, continuari exspectamus, aut cum id quod in uniuersum positum est per singulas partes persequimur, cuius usus exempla composuit Handius Tursell. II. p. 461 sqq. Itaque hic non poterat, nisi si poeta, cum antea generatim de antro locutus esset, his uersibus singula ornamenta enumeraret, haec particula locum habere. At uero uersus 27 et 28 non minus quam uersus 29 et 30 in singulis rebus uersantur, nec ulla, quae *ergo* uocabuli potestati respondeat, inter utrosque ratio intercedit. Quare rectissime iudicauit Muretus, qui *ergo* quo pertineat se non uidere, deque eius integritate subdubitare dixit. Uideant autem alii, num probabilius quam Heinsius, qui *plectraque* uel *cerea* uel *orgia* proposuit, ego coniecerim *circum* pro *ergo* legendum esse, ea huius uocis significatione, qua Ouidius dixit fastt. 2, 527 sq. *Inque foro multa circum pendente tabella Signatur certa curia quaeque nota.* — V, 1, 108 sq.

Aspicienda uia est caeli uerusque per astra
Trames et a zonis quinque petenda fides

sic modo intelligi possunt, ut ad *trames* uocem non *aspicienda est*, sed *est* repetatur, quo concinnitas orationis turbatur: neque quod antiquiores editores substituerunt *uersus* de tramite per astra facto dici potest, sed *certus* credo poetam scripsisse.

Quanquam uereor ne nimis diu in hoc emendandi genere uersatus sim, quoniam dicendum etiam de reliquis. Et alterum quidem in eo positum est, ut quae explicandi causa ascripta erant, ea a librariis in continuitatem uerborum recepta esse intelligatur. Factum enim hoc esse ostendit unum

exemplum IV, 13, 35 *Atque hinuli* NM *Atque humilis* G: *Hinnulei* uerum esse uidet Scaliger I, 2, 9 sq.

Aspice, quos summittit humus formosa colores,
Et ueniant hederae sponte sua melius

non persuadent incorrupta esse. Nam quod summum est in his uersibus et in singulo quoque exemplo accurate significatum, ut nulla adiuuante arte omnia pulchra fiant, id omissum est in florum, quos terra summittere dicitur, descriptione. Nam nec humus, ut uisum est censori Lipsiensi p. 509, per se incultam terram significare potest, nec ex altero uersu, id quod Lachmanno et Iacobo placuit, *sua sponte* repeti, quandoquidem id in quo omnis uis posita est in priore enuntiati membro omitti non poterat. Itaque cum nihil uideam, quod probabile sit, ad uerba emendanda propositum esse: nam quod Lachmannus in altera editione recepit *quo* pro *quos* propter *colores* nullo addito adiectiuo positos displicet: facile adducor ut ad uocem *quos* explicandam *quam formosos* ascriptum fuisse putem, quod deinde cum genuina uoce, qua humum horto oppositum poeta significauerat conglutinatum sit. Quod quidem uocabulum, etsi nihil audeo confirmare, potest fuisse *muscosa*, quod saepe a poetis in pratis describendis usurpatur et facilius poterat, quam alia uox, prima syllaba omissa occasionem ad id quod suprascriptum erat aberrandi praebere. — Fortasse sic etiam V, 10, 32 corrupta

Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit,

ut *fretus*, quod non poterat, nisi addita re, qua quis confidat dici, aliam uocem, ad quam explicandam ascriptum erat *uirtute* uel *corpore fretus* expulerit. — Quanquam haec quidem incerta: certior res in his III, 29, 41 sq.

Sic ego tam sancti custode recludor amoris.
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

Desperauerat de his uersibus probabiliter emendandis in maiore editione Lachmannus: Iacobus inepte rem Cynthiae

notam narrari eaque de causa totum carmen, nisi his uersibus ut admittatur flagitet poeta, mancum esse ratus *recludar* scribendum esse censuit. - *Sanctissimi*, inquit, *amoris custodem, Amorem obsecrat, qui sic ad dominam sibi aditum rursus aperiat ut nullam ex illo noctem uitatis istis aemulae foribus felicem habuerit.* Quam sententiam ut non uideo quemadmodum ex illis uerbis elicere potuerit, ita eam nego carminis argumento flagitari: quod nisi aliter constituitur, ne his quidem precibus constare potest. At uero cum duas res narret Propertius, primum se ab amica redeuntem a pueris Cynthiae deprehensum esse, deinde se Cynthiam adiisse et praeter opinionem solam inuenisse, quarum rerum utraque et nota erat puellae et iram eius excitabat maximam, non poterat narrando aliud quicquam spectare, quam ut causis utriusque rei expositis se excusaret. Quod summa cum arte sic instituit, ut utraque re iterum ob oculos puellae posita, quemadmodum altera alteram excepisset, significaret. Ita enim cum Cynthia intelligeret, puerorum a se missorum insidiis eum commotum esse, ut ad se ueniret, simul intellexit, non suspicionem, quam pueri iniicere non poterant, causam fuisse odiosae speculationis, sed potius, cum antea poetae de perfidia puellae persuasum fuisset, tum dubitationem iniectam esse, utrum puerorum sermonibus an suae crederet opinioni, eaque de re ut certior fieret, eum ad se uenisse. Unde consequebatur, suspicionem, quam antea conceptam habuerat causam fuisse, cur primum Cynthiam relinqueret. Itaque ipsum carmen sic nos iubet rem animo informare. Propertius cum nescio qua ex re suspicionem de perfidia Cynthiae concepisset, hac relicta id quod saepius factum esse inprimis carmen IV, 6 docet, alieno se amori dederat. Mox uero ubi desertam puellam, curam sui habere animaduertit, ad eam currit, ut intelligat, num falso suspicatus sit, idque si ita esse inuenerit, ueniam petat. Sed reiectus ab irata puella priusquam excusationem agere potuerat, hoc ad eam carmen, quo

excusationem agat, mittit. Quae si uere disputata sunt, sequitur efficacissime ad misericordiam puellae mouendam hanc esse in fine carminis positam sententiam, ad quam codicum scriptura ducimur, ut Propertius se dicat exclusum a sancti amoris custode h. e. a Cynthia, quam intemeratum amorem seruare magno cum gaudio intellexerat, miseras semper noctes egisse. Itaque illud ipsum *excludor* probarem, modo exclusus esset Propertius nec repulsus potius, ita ut non auderet etiam patente porta iterum accedere. Quare non dubito, quin hic uerbum aliquod cum *re* particula compositum scriptum fuerit, ad quod cum explicandi causa *excludor* ascriptum esset, hoc in illo uetere codice male erat cum genuino uerbo coniunctum. Tale autem uerbum non uideo quod inueniri possit aptius, quam *relegor*. Ceterum apparet, nec ab interpolatorum librorum scriptura *excludor*, nec a Neapolitano, qui *reludor* habet, quicquam huic coniecturae accedere probabilitatis *).

Tertium uitiorum genus, ut a singulis uerbis ad ea quae ad totos uersus pertinent transeam, hoc est, quod uersus suo loco moti migrarunt in alium. Cui generi cum diu nimium

*) Luculentum hoc carmen, quod solum sententiarum nexum secuti interpretati sumus, exemplum est, quam infeliciter O. F. Gruppio in libro quem de elegia Romana scripsit in Propertii carminibus explicandis res cesserit. Nam cum, singula carmina non sat digna esse talis poetae arte ratus, complura quae una sententia continerentur carmina comprehendenda existimaret, poema quoddam quinque libris, qui bis quinas elegias continerent, distributum commentus est. Quo in argumento huic carmini locum inuenisse sibi uisus est accommodatissimum p. 298, cum Propertii ad Cynthiam reditum Amoris ui, quam modo fugisse contigisset, factum narrari diceret, ita ut extremo uersu illa a qua liberum se iam mansurum esse frustra sperasset poeta, cupidine denuo animum correptum esse significaretur. Nimirum sic pro arbitrio uerbis et sententiis poetae peruersis nihil facilius, quam historiolas, quibus numerorum quadam aequabilitate seruata carmina intexantur, comminisci.

esset in Propertii carminibus emendandis tributum, hodie uereor ne multi iusto timidiores sint. Mirum enim foret, cum in eis qui seruati sunt libris saepe inueniamus uersus transpositos esse, nisi id saepius etiam esset per magnum saeculorum hiatum, quo Propertii aetas a communi nostrorum codicum fonte distinetur, factum: nec desunt exempla, quibus hoc emendandi genere utendum esse certissime probetur, uelut I, 15, 15 et 16 quin aut post u. 20 aut post u. 22 collocandi sint post Schraderum, Marklandum, Lachmannum nemo dubitat. II, 1, 5 sqq. autem post multos multorum conatus certissima transpositione sanauit Lachmannus. Quam facile autem horum uersuum ordo mutari potuerit, nunc quoque e codice Leidensi 117 intelligi potest, in quo uersus 9 et 10 post u. 12 positos inueni. Non minus certa meo iudicio est Scaligeri de I, 8, 13 sqq. sententia probata, a Wyttenbachio bibl. crit. III, 4. p. 15 et a Iacobo, improbata a censore Lipsiensi p. 573 et a Kaestnero in censura editionis Lachmannianae minoris Iahn. annall nouu. I. p. 406, eam dico sententiam, ut uu. 13 et 14 post u. 16 collocandi sint. Nam nec *patiatur*, nisi uersibus transpositis accedit negatio, recte dici potest, nec ad undam ita ut in uulgari uersuum ordine fit, bene transfertur, quod de aura dicendum erat. Talibus igitur exemplis usi si aliis quoque uersibus hanc medicinam admouere quam interpretandi artificiis eum qui in codicibus est ordinem defendere malumus, non uerendum, ne in temeritatis crimen incidamus, modo hoc teneatur, non magis quam in reliquis emendandi generibus ludendum esse in hoc. Uno autem rei defungar exemplo, IV, 4, 13 sqq.

Qua uideam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad uulgi plausus saepe resistere equos,
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam et titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi et braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.

In quibus si praeter omissam, qua uersus 13 et 14 iungi exspectabamus copulam, id quod tam intolerabile uisum est multis, ut Mureti coniecturam, *onerato Caesaris axe* reciperent, omnia recte se haberent, haec orationis dissolutio, quanquam nimia in eo genere licentia Propertio tributa est, hoc tamen loco me non offenderet. Duabus enim legibus, quarum utraque hic seruata uideri poterat, poetam se astrinxisse inueni. Nam in aequalium rerum enumeratione, nisi quidem aduerbium uel pronomen uel repetita aliqua uox particulae uicem suscipit, plus duas res ponit, eo tantum a uulgari usu recedens, quod arbitratu suo aliud membrum sine copula effert, alii eam addit, ut IV, 1, 25 sqq. *Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces, Fluminaque Haemonio cominus isse uiro, Idaeum Simoenta Iouis cunabula parui, Hectora per campos ter maculasse rotas?* 9, 53 sqq. 22, 7 sqq. Sin duas res non addita copula iuxta ponit, interiorem quandam rationem inter utramque intercedere ubique uideas, uelut oppositionem satis interdum leuem, cuiusmodi est III, 26, 15 sq. *Et tibi ob inuidiam Nereides increpitarent, Candida Nesaee, caerula Cymothoe:* uel amplificationem, explicationem, gradationem eius quod primo loco positum erat, ut III, 17, 1 *Mentiri noctem, promissis ducere amantem.* Sed ut intelligatur, quid ferri in hoc genere nequeat, quoniam totum locum nunc persequi non licet, non potuit Propertius scribere, quod Hertzbergius ab eo uenisse sibi persuasit V, 7, 57 *Unda Clytaemnestrae stuprum uehit altera, Cressae Portat mentitae lignea monstra bouis.* Codices *Una*, non *Unda*, unde probabiliter Iacobus: *Una Clytaemnestrae stuprum uehit ausaque Cressae:* ego conieceram *Una Clytaemnestrae stuprum inuenta et fera Cressae.* Hi igitur uersus de quibus disputamus duplici ratione, ut dixi, ad illum usum accommodari possunt. Aut enim spoliis onerati Caesaris axes et equi ad uulgi plausus resistentes ita inter se opponi possunt, ut in finita oratione *at* par-

ticula ubi *et* exspectabatur posita fieri solet, aut propter ea quae duobus uersibus ab his seiuncta subiiciuntur recte omissa est copula. Sed uitiosa euadit utroque modo oratio propter uersus 17 et 18, quos cum sententia uerborum aut ad *spectare* referre nos iubeat, id quod priore ratione fit, aut ad *uideam*, orationis conformatio ad *legam* trahit. Aliena enim ea quoque exempla, quibus Lachmannus in mediis enuntiatis, ita ut uerborum constructio non turbetur, alias sententias interponi ostendere studuit. Quod ut intelligatur Propertii usum explicabo accuratius. Tritissimum autem hoc dicendi genus est, ut duabus uel pluribus orationis partibus copulatiua uel disiunctiua uel comparatiua uel finali uel alia quadam particula in unum enuntiatum comprehensis post unam ex his enuntiati partibus, priusquam addatur altera, uerba nonnulla ad illam solam pertinentia interponantur, ut I, 17, 15 sqq. *Nonne fuit melius, dominae peruincere mores (Quamuis dura, tamen rara puella fuit), Quam sic ignotis circumdata litora siluis Cernere.* I, 7, 16. 12, 16. 20, 12. 22, 6. III, 12, 22. 16, 27 (uid. supra p. 10). IV, 3, 37. 12, 30. 18, 7. V, 1. 90; 122; 135. 6, 28; 48. 7, 21; 36. Proxime ad haec exempla accedunt ei uersus, in quibus idem uerbum per utramque enuntiati partem ualet, ut V, 5 41 sqq. *Nec te Medeae delectent probra sequacis (Nempe tulit fastus ausa rogare prior), Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri.* II, 3, 9 sqq. IV, 6, 12 Tertium genus eorum uersuum est, in quibus unius enuntiati continuitas interrumpitur, ut III, 18, 37 *Credam ego narranti (noli committere) famae.* IV, 11, 40. 13, 59. 15, 34. V, 4, 89. 8, 6. Eodem pertinent ea, in quibus accusatiuus cum infinitiuo a primaria sententia seiungitur, III, 20, 15 sqq. *Ossa tibi iuro per matris et ossa parentis (Si fallo, cinis heu sit mihi uterque grauis), Me seruasse fidem.* V, 7, 52 *). His igitur

---

*) Omisi exemplum a Lachmanno allatum IV, 3, 41 sqq.

consideratis cum possit quispiam uersus de quibus agitur ad alterum quod posui genus referre, accusatiuis cum *uideam* iunctis, nam a spectandi quidem uerbo eos non posse pendere, iam ex his puto apparere: illud quoque uetat uerborum quae sic interponuntur natura. Quam sic inuenias comparatam esse, ut et oratio a reliquis diuersa sit et sententia quodammodo dissimilis, ita ut uel causa indicetur, uel explicentur ea quae primarium enuntiatum continet, uel quod posita sententia in memoriam reuocauerat interponatur, uel alia denique res reliquis subiecta addatur. A qua lege duo tantum exempla possunt uideri recedere, alterum IV, 15, 31

Nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
Flare, nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano praelia signo Stent:

in quibus nulla orationis interruptio, sed ex utraque quae antecedit sententia repetenda in tertiam canendi notio: cf. V, 6, 33. Omisi quoque IV, 19, 15 sqq., qui uersus sic possunt alicui scribendi uideri:

Crimen et illa fuit patria succensa senecta
Arboris in frondes condita Myrrha nouae
(Nam quid Medeae referam quo tempore matris
Iram natorum caede piauit amor?
Quidue Clytaemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?),
Tuque o Minoa uenumdata, Scylla, figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.

Sed non sat grauis causa erat, cur ad primariam uerborum constructionem oratio rediret. Quare suspicor poetam scripsisse *Tu quoque Minoa uenumdata, Scylla, figura Tondes.* Non magis apti Ouidiani uersus a Lachmanno indicati amorr. III, 14, 31 sqq., qui sic legendi sunt:

Cur toties uideo mitti recipique tabellas?
Cur pressus prior est interiorque torus?
Cur plus quam somno turbatos esse capillos
Collaque conspicio dentis habere notam?

Sic (cadit inflexo lapsa puella genu) Sera tamen pietas, in quo cum par sit orationis forma, diuersa tamen est sententia, alterum IV, 6, 11 sqq. *Nec speculum strato uidisti Lygdame lecto (Ornabat niueas nullane gemma manus?), Et maestam teneris uestem pendere lacertis, Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?*, in quo cum non dissimilis sit sententia, quanquam sic res cogitanda, quasi addat poeta quae oblitus erat, prorsus diuersa est orationis forma *). Contra in eis uersibus a quibus profecti sumus uerba, quae sic interposita esse uoluerunt, praesertim cum *et* particula adiuncta sint, ita et argumento et oratione cum primario enuntiato congruunt, ut non solum intellectus impediatur, sed ne causa quidem, cur haec tam impedite efferre uoluerit poeta, cogitari queat. Itaque hoc eum ordine uersus dedisse arbitror:

Qua uideam spoliis oneratos Caesaris axes,
Ad uulgi plausus saepe resistere equos,

*) Sufficit hoc ad hos uersus defendendos, quorum ordinem sic mutare uoluit G. T. Suringarus in prolusione Lingensi a. 1806 edita p. IX:

Nec speculum strato uidisti Lygdame lecto?
Scriniaque ad lecti clausa iacere pedes?
Ac maestam teneris uestem pendere lacertis?
Ornabat niueas nullane gemma manus?

Ita enim praeterquam quod elegantior sit uerborum constructio, apte speculum cum scriniis, lectum cum lecti pedibus, uestes cum gemmis iungi. Cuiusmodi rationibus si quis subaudire uelit, uix finem inueniat transponendi, uelut III, 25, 5—8 sic possunt alicui melius collocati uideri: 5, 8, 7, 6. Scripsi autem *Et maestam*: *Ac* N, uulgo, qua particula non utitur Propertius nisi in dicendi formulis *ac primum* et *ac ueluti* uid. Haupt. obss. critt. p. 37 sq., *Ad* M *At* G, quod probauit Hauptius l. c.: sed non memini hanc particulam sic in obliqua oratione ponere Propertium.

Tela fugacis equi et braccati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces:
Inque sinu carae nixus spectare puellae
Incipiam et titulis oppida capta legam.

Quo simul aliam effugimus molestiam, leuem illam quidem, sed quae tamen offensioni fuerit, quod in uulgari uersuum ordine *spectare incipiam*, tam breui spatio post *uideam* nullo addito nomine repetitum, nihil noui affert: quod tam languidum uisum est Sterkio actt. societ. Ultraiect. I, p. 167 et Bosschae ibid. p. 225, ut pro *nixus* alter *uinctos*, alter *nexos* scribendum putaret. — Sed quod dixi non esse in hoc genere ludendum, hoc esto exemplum II, 3, 29 sqq.

Gloria Romanis una es tu nata puellis,
Romana accumbes prima puella Ioui,
Nec semper nobiscum humana cubilia uises:
Post Helenam haec terris forma secunda redit.

In quibus, ne diuina cum humanis miscerentur, Lachmannus maiores uersus locum mutare iussit, minores Iacobus, falso uterque usus iudicio. Nam si quis non binos uersus sed unumquemque per se spectat, altero alterum uersum in animo scribentis prouocatum esse et optime singulos se excipere intelliget. Nam ut Romanarum puellarum mentio Romanas puellas excitauit, ita accumbendi uerbum cubilia, humana autem cubilia terras.

Latissime patet quartum uitiorum genus, quod est lacunarum. Nihil enim agunt, qui singularem quandam sententiarum ad unum carmen coagmentandorum rationem huic poetae fuisse docent, quam nimirum elegantissimam artem pauci assequi possint, nihil agunt inquam, nec efficiunt id quod uolunt, ut quae codicibus seruata sit carminum forma genuina esse ubique credatur. Uelut haec mecum considera. In carmine II, 6 singula ita inter se cohaerere concedam, ut poeta, querelis de amatoribus Cynthiae fusis ad exempla alieni amoris magno omnium detrimento turbati et earum

quae fidem seruauerint laudem abreptus, Romanarum puellarum leuitatem cum illis conferat huiusque quae facta sit mutationis causam ab incestis imaginibus, quarum antea non fuerit aspectus, repetat. In uersu 35 autem *Sed non immerito uelauit aranea fanum* hiare sententiam, nemo non intellexit: quanquam recte se habere omnia uideri poterant, si eam, quam Hertzbergius *Sed nunc (immerito) uelauit aranea fanum* scribendo efferri, uoluit, sententiam posuisset Propertius, ut suae aetatis indolem indignabundus patrum memoriae opponeret. At enim nullus in his *sed* particulae locus, qua non utimur ad alteram sententiam alteri opponendam, sed ut corrigamus quodammodo id quod diximus *).

---

*) Quo accuratius diuersus *sed* et *at* particularum in Propertii carminibus usus cognoscatur, omnes uersus, in quibus alterutra legitur, id quod magnam in hoc genere utilitatem habere saepe expertus sum, ordine indicare uisum est. Itaque corrigendi potestas, quam *sed* particulam habere dixi, primum eo continetur, ut, si quae uera esse poeta negauit, quae ita se habere exspectari poterat, alia in eorum locum substituat. I, 2, 19 sqq. *Nec Phrygium falso traxit candore maritum Auecta externis Hippodamia rotis, Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis.* 3, 19. 5, 29. 6, 5. 8, 40. 11, 18. 19, 3; 9. III, 10, 26 12, 20. 13, 7. 16, 25. 29, 18 IV, 6, 25. 7, 11; 49. V, 5, 43. 6, 33. Deinde utitur hac particula, ut eam quam posuit sententiam subiuncta altera quanquam non tollat prorsus, tamen definiat accuratius, ne aut ipsa res male intelligatur, aut quae quis inde colligere possit simul cogitentur, ut V, 3, 49 *Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior.* IV, 13, 61 *Certa loquor, sed nulla fides.* II, 7, 5. 5, 15. IV, 25, 7. 14, 2. V, 3, 27 4, 85. 7, 84. 10, 12. I, 20, 49. II, 9, 1. III, 24, 42. IV, 1, 17. 6, 32. 18, 22. V, 1, 98. 2, 33. 8, 16; 32. 9, 7. 10, 3 Denique in initio noui enuntiati particulam collocat, ut ab argumento aliquo se ipsum reuocet, siue ea quae dixerat non satis ad rem pertinere, siue ad grauiora animum aduertendum esse indicat, quod factum est in his uersibus: I, 4, 11 *Haec sed forma mei pars est extrema furoris.*

Itaque quamuis saepe praesentem rerum conditionem eis quae ante fuerint aut postea futura sint opponere soleant cum alii

---

8, 17 *Sed quocunque modo de me periura mereris* etc. 10, 11. 16, 35. 18, 31. II, 1, 39. 6, 35. 8, 18; 25. 9, 31. III, 10, 1. 12, 14. 13, 57. 16, 43. 21, 3. 22, 21. 24, 51. 25, 15. 26, 17; 45. 28, 5; 15. 29, 7. 32, 21; 25. 33, 18. 34, 23; 47. IV, 12, 19. V, 1, 59. 2, 55. 3, 67. 5, 63. 7, 71. 9, 7. Omisi IV, 18, 19 sqq. *Attalicas supera uestes*, *atque omnia magnis Gemmea sint ludis: ignibus ista dabis. Sed tamen huc omnes, huc primus et ultimus ordo.* Nam cum in eadem omnia sententia uersentur *sed tamen* uerum esse nequit. *Sed tamen huc* MP *Sed tamen hoc* GN, unde scribendum conieci *Lex manet haec*: quanquam fortasse aliquot uersus exciderunt. Ut autem in altero quod posuimus genere *quanquam* poterat subsequente *tamen* dici pro sed, ita hic fere idem ualet particula, atque *quanquam* in initio noui enuntiati positum. *At* particulae usus, quia propria quam ei assignauimus opponendi uis ita extenuari potest, ut nihil nisi transitus significatio relinquatur, frequentissimus est. Nihil autem in hac re apud Propertium usitatius, quam ut homines uel res, quae aliquid pati uel facere dicuntur tali ratione opponantur aliis, ut I, 1, 19 *At uos, deductae quibus est fallacia lunae –, conuertite.* 6, 31. 13, 3. 15, 9. 16, 34. 17, 25. 20, 23. II, 5, 17. 9, 19. III, 16, 13. 18, 7; 19. 24, 33. 25, 9; 17. 26, 11; 49. 29, 14. 33, 21. IV, 2, 23. 7, 71. 8, 37. 9, 14; 21. 11, 62; 71. 13, 53. 14, 29. 15, 43. 18, 31. 19, 25. 20, 5. 25, 11. V, 1, 95. 3, 29. 4, 89. 6, 59. 7, 37. 10, 23. Deinde duae quae narrantur res inter se opponuntur, ut I, 16, 41 *At tibi saepe nouo deduxi carmina uersu.* Sua de ianua merita eis quae nunc patitur poeta opponit. 5, 10. 10, 27. II, 2, 2 7, 5. III, 16, 35. IV, 2, 13. 7, 63. 16, 7. 21, 6. 22, 27. V, 1, 135. 2, 9; 47. 4, 15; 57. 7, 11; 23. 9, 51; 63. Denique tempus uel locus uel aliqua rerum conditio, qua id quod narratur quodammodo definitur, alii rationi opponitur, ut III, 14, 9 sq. *Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte: At dum demissis supplex ceruicibus ibam, Dicebar.* II, 8, 37. IV, 1, 21. 7, 46. 13, 47. 18, 7. V, 2, 29; 61. Quoniam uero ea quibus corrigimus aliquid saepe

poetae, tum Propertius, nunquam tamen in tali sententia *sed nunc* dixerunt, sed aut solo *nunc* aduerbio usi sunt, ut Prop. II, 3, 37. III, 28, 31. V, 10, 29. aut addita *at* particula, ut Prop. IV, 13, 47. 18, 7. contra ubi *sed* et *nunc* coniuncta sunt, ut Prop. IV, 7, 11. V, 7, 71, illud *nunc* exigui momenti est, non duobus temporibus, id quod hic fieri oportebat, comparandis inseruit. Itaque cum *non* retinendum sit, non dubito, quin ante hunc uersum exciderint aliquot uersus, quibus postquam contemptam quae tum erat sacrorum conditionem descripsit, uersu 35 hoc argumento omisso rem non immerito fieri, sed iustam causam subesse dicit, in quali sententia *merito* uel *immerito* ponere solent poetae, ut Ouid. amorr. III, 12, 9. Hanc autem causam in perdita illius aetatis natura positam cum paucis uerbis, quae post uersum 36 exciderint necesse est, significasset, uersu 37 ad summam carminis redit. Nihil dicam de carmine 7. Ad carmen 8 defendendum commotum poetae animum, qui dici nequit, quantas in poetis explicandis turbas dederit, in auxilium uocarunt. Sed hi certe uersus 12—15

Illa tamen nunquam ferrea dixit Amo.
Ergo tam multos nimium temerarius annos,
Improba, qui tulerim teque tuamque domum.
Ecquandone tibi liber sum uisus?

quomodo inter se, siue sententiam specto, siue uerborum

---

huic rei opposita sunt, interdum in eadem sententia utraque particula locum habet. V, 2, 29 sq. *Sobrius ad lites: at cum est imposta corona, Clamabis capiti uina subisse meo*, ibid. 33 sq. *Cassibus impositis uenor: sed arundine sumpta Faunus plumoso sum deus aucupio.* In priore enim uersu ebrietatem Uertumni sobrietati poeta opponit, in altero, etsi cassibus aptus sit deus, tamen ut non Fauni formam induere possit inde sequi negat. Uolebam quaedam addere de eis uersibus, ubi num *at* scribendum sit, an *et* dubitari potest: sed creuit praeter opinionem haec disputatio.

comprehensionem, cohaereant, non uideo. Positi erant haud dubie inter uu. 14 et 15 aliquot uersus, quibus multa inconsiderate a se tentata esse ad amorem Cynthiae conciliandum narrauerat Propertius. In quibus cum caeca amatoris cupiditas conspiceretur, facilis erat transitus ad uu. 15 et 16. Quod deinde a uersu 25 persequitur, se non solum obiturum esse, id cum ita intelligi nequeat, ut Cynthiam secum morituram esse dicat, utpote quam u. 20 se mortuum irrisuram esse dixerat, sed cum ad riualem pertineat, sequitur uerba *sed non effugies* ad hunc ipsum riualem dicta esse. Quod ne leuissima quidem addita hominis significatione, nisi ante hunc uersum exciderant nonnulla in quibus mentio eius facta esset, fieri non poterat. Proximum carmen uersu 40 ita absolutum est, ut non uerisimile sit, ex eis quae sequuntur, nulla enim in codicibus ante III, 11 distinctio facta, quicquam ad hoc carmen pertinere. Sed ne ea quidem, quae inde a u. 41 usque ad u. 48 scripta sunt, cum u. 49—52 congruunt. Nam cum antea se ipsum solitudini dare constituisset, Cynthiae amatorem autem amore pessumdatum iri sperasset, in reliquis uersibus, quantum quidem ex abrupto sermone perspicitur, ut simul cum illo mortem obeat optat. Itaque duorum haec sunt carminum lacinia. Quae post u. 52 leguntur noui carminis esse, omnes uiderunt: sed in hoc quoque persuasum habeo, ante u. 21 nonnulla excidisse, quibus, priusquam ita ut inde ab hoc uersu facit carminis uilitatem excusaret, ab illo quo exorsus erat spiritu se reuocauerat. Neque enim erant ea quae promiserat, modo stare promissis posset, uilia tura. Atque haec hactenus, quae ita composuimus, ut circa unum locum disputationem contineremus, nec nisi certissima ex eo eligeremus indicia. Stipatas enim tam breui spatio lacunas apparet non casui tribui posse, sed e membranarum uitio et defectu repetendas esse. Atque hac demum uetusti illius codicis indole perspecta recte potest de Lachmanni conatu iudicari, qui in illo ipso loco noui

libri initium posuit, motus imprimis hoc Propertii uersu III, 13, 25 *Sat mea sat magna est, si tres sint pompa libelli.* Quae uerba cum arbitraretur, nisi tertio libro inchoato, non scribi potuisse a poeta, eaque de causa ante hoc carmen secundum librum finiendum, exordiendum tertium existimaret, tantum abest ut probabilitate haec careant, ut multo inconsideratius egerint illi, qui aut interpretando illa uerba ad secundum librum trahere studuerunt, alii enim de Mimnermi, Philetae, Callimachi libris cogitarunt, alii libellorum nomine carmina significari putarunt, alii optare poetam, ut primo et secundo libro tertium addere contingat, contra quam sententiam bene disputauit Iacobus in Iahn. anall. philol. V p. 257: aut carmen post absolutum secundum librum scriptum postea errore in hoc ipso libro editum esse crediderunt. Itaque cum probabilia sectans Lachmanni distributionem accipiam, tamen, quia id carmen quod in initio noui libri posuit non minus poterat in medio libro locum tenere, incertum relinquendum esse censeo, a quo carmine tertium librum exorsus sit poeta, praesertim cum illud ipsum carmen deesse possit. — Sed ne in hoc tantum loco, quo secundum et tertium librum librarius conglutinauerat, iactura facta esse putetur, parcius erant per totum codicem lacunae dispersae, ita ut nunc interdum singulorum uerborum intellectui officiant. Cuius rei duo elegi exempla. II, 1, 35 sqq.

Te mea Musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta et posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
Hic Ixioniden, ille Menoetiaden.

In quibus primum offendit comparatio, quam uu. 37 et 38 continent, nulla indicata particula, quae omitti eo minus poterat, quod non ad totum enuntiatum, sed ad unam uocem *fidele* comparatio pertinet. Deinde inauditum quoque hoc, quod qualem alter alterum testetur non dictum est. Describitur autem illis uersibus non tota, quam Theseus cum Pirithoo,

cum Patroclo Achilles habuerit, amicitia, sed id quo imprimis utriusque animus probatus erat, in Theseo quod cum amico ad inferos descenderat, in Achille luctus et ira, quam post mortem Patrocli ostenderat. Unde sequitur, cum *et posita et sumpta pace fidele caput* non possit aut Patroclus dici aut Pirithous, sed de uno Maecenate uerba ualeant, emendationem non esse in hoc uersu quaerendam. In uersu 37 autem uel 38 si quid mutari iubeas, omnia apparet tam necessaria esse, ut una *testatur* uox relicta sit. Sed cum non uideam, quae e tam paucis litteris elici possit emendatio, qua non ad uerbum *canerem*, sed ad solum adiectiuum *fidele* comparationem referri patefiat, persuasum mihi est, ante u. 37 duos excidisse uersus: quorum non poterat, nisi haec esse sententia, tam fidum amicum Maecenatem aut esse aut a poeta celebratum iri, quales fuerint aut celebrentur Theseus, qui suam cum Pirithoo amicitiam inferis testatus sit, et Achilles, qui quantopere Patroclum amarit superis ostenderit. *Testatus* enim, non *testatur* scribendum esse puto, per se quoque singulae rei narrationi accommodatius, quam praesens tempus. — IV, 7, 47 sqq.

Non tulit hic Paetus stridorem audire procellae
Et duro teneras laedere fune manus,
Sed Thyiae in thalamo aut Oricia therebintho
Effultus pluma uersicolore caput.
Huic fluctus etc.

49 *thiae in* P *chio* GNM. *calamo* GM. *orytia* G *orythia* N *orånthea* M. 50 *Effultus* P *Et fultum* GNM. In qua scripturae discrepantia ea quae in codicibus leguntur tam aliena sunt, ut Puccium, siue codicis scripturam posuit, siue Italorum coniecturam recepit, sequendum existimem. Quanquam ne sic quidem, nisi suspicando subueneris, constabit sententia. Nam ut nihil dicam de uerborum constructione, cum audiendi uerbum uersu 48 interposito ad uu. 49 et 50 pertinere uolunt, quod num ferat orationis castitas, ex

eis quae supra disputaui dubitari potest, neque sententiae ieiunitatem urgeam: poscit haec interpretatio, secundum quam loca, in quibus aut audire aut non audire uentum poterat Paetus, inter se opponenda sunt, ut *hic* aduerbium sit et ad mare referatur. Sed cum in eis quae praecedunt non de mari, sed de terra loquatur poeta, nulla excogitari potest ratio, qua loci mentione facta non de terra cogitandum esse euincatur. Quare cum *hic* non possit nisi nominatiuus pronominis esse, nouum in altera sententia addendum est uerbum, eaque de causa post u. 48 aliquot uersus excidisse arbitror, quibus Paetum in illo thalamo molliter quiescere uel dormire uel aliud quidpiam, quod ad delicatam uitam pertinet, facere consuesse poeta narrauerat.

Lacunis oppositum est quintum, quo ille codex corruptus erat, uitiorum genus, quod adulterina uerba genuinis admixta erant. De quo ita facillime me fidem facturum esse spero, si illo de quo uenimus genere non relicto librarium demonstrauero lacunam membranarum uitio factam suis uerbis suppleuisse. IV, 21, 23 sqq.

Inde ubi Piraei capient me litora portus,
Scandam ego Theseae brachia longa uiae.
Illic uel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docti Epicure tuis:
Persequar aut studium linguae, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales:
Aut certe tabulae capient mea lumina pictae.

Uersus 25 et 26 Lachmannus compluribus orationis uitiis ductus non esse a Propertio profectos uidit. Atque imprimis quidem suspicionem mouet *uel* particula, cui non poterat in altero membro *aut*, ita ut utraque sibi respondeat, subiungi. Quam sententiam olim a Lachmanno propositam cum nunc, postquam exempla talis disiunctionis, ad quae Lachmannus non satis adtenderat, inuenta sunt, a multis improbari, eumque usum a poetarum certe sermone non alienum haberi uideam,

illa exempla accuratius examinabo, praesertim cum uerendum sit, ne eis quae nuper Maduigius ad Cic. de finn. p. 729 de *et* — *que* particulis pro *et* — *et* positis et in primo excursu eidem libro subiecto de dissolutis orationis bipertitae membris accurate, ut solet, exposuit fidem accipere uideantur. Moneo autem de eo rem esse, num in uerbis uel sententiis ita disiunctis, ut singulae partes disiunctiuam particulam asciscant, altera alterius exspectationem mouente, diuersae inter se opponantur particulae. Saepe enim sic huiusmodi particulae se excipiunt, ut altera non respondeat alteri, sed, siue noua infertur distinctio, siue singulae particulae ea quibus adiecta sunt separant ab eis quae praecedunt, suam quaeque potestatem habeat. Quod qui diligenter obseruauerit ex eis quoque exemplis quibus recentiores grammatici, e quibus imprimis nominandi sunt Handius Tursell. I, p. 548 sqq., Boetticherus lexic. Tacit. p. 76, Bonnellus lexic. Quinct. p. 99 et 939, interpretes ad Tacit dial. 5 et ad Apulei. met. p. 171 ed. Elm., et qui nuperrime de hac re scripserunt, Freundius lexic. lat. u. *aut* et *uel* et Kruegerus gramm. lat. p. 730, hunc usum firmare studuerunt, multa non stare intelliget. Ualet enim hoc ubique, ubi compluribus membris positis primum sine particula effertur, saepe etiam, ubi eadem particula aliquoties repetita, quoniam non omnia peraeque inter se opponantur necesse est, ad aliam disiunctionem oratio transit. Uideamus igitur primum de *uel* et *aut* particulis: quas inter se oppositas esse a Latinis non probant talia exempla, qualia sunt Tacit hist. 2, 76 *ne contra Caii quidem aut Claudii uel Neronis fundatam longo imperio domum exsurgimus.* Sil. Ital. 16, 32 *Non ars aut astus belli uel dextera deerat.* Quint. III, 6, 72. VIII, 6, 68. IX, 3, 69. In quibus non iustam oppositionem esse, sed uarietatem quandum loquendi, ex eis certe cognosci poterat, quae tamen ad ipsam doctrinam confirmandam afferre non dubitarunt, in quibus *ue* particula, cuius nullus in bipertita

disiunctione locus, adiecta est, Plaut. Asin. III, 1, 19 *compellare aut contrectare colloquiue aut contui.* Quint. II, 17, 25 *si tamen aut ualetudinis ui, aut intemperantia aegri alioue quo casu summa non contigit.* His igitur, quorum similia non difficile sit multa ex omnibus scriptoribus componere, remotis, restant haec: Ouid. met. 1, 545 sqq.

Fer pater, inquit, opem, si flumina numen habetis.
Qua nimium placui, tellus, aut hisce, uel istam,
Quae facit ut laedar, mutando perde figuram.

In quibus uersibus cum praeter suspectam, de qua agimus, disiunctionis uarietatem imprimis offendat intolerabilis eiusdem sententiae in u. 546 et 547 repetitio, acute Ritschelius in mus. Rhenan. nouiss. I. p. 472 *quae facit ut laedar* uerbis ad alterum uersum explicandum ascriptis Ouidii uerba expulsa esse perspexit, uersusque ita scriptos fuisse suspicatus est:

Impatiensque morae, Tellus, ait, hisce uel istam,
Qua nimium placui, mutando perde figuram.

Nam *ait* pro *aut* in multis codicibus est. — Martial. III, 3, 4

Aut aperi faciem uel tunicata laua:

in quo uersu *uel* numerorum causa ab Aldo positum est pro *aut*, quod in codicibus legitur, unde Schneidewinus, cuius uid. proll. in Martial. p. XXXV *aut tu tunicata laua* restituit. Martial. IV, 77, 6

Aut appone dapes, Uare, uel aufer opes.

Sed totum hoc carmen non Martialis esse, sed medio aeuo factum, ante Schneidewini editionem, in qua inter supposititicia carmina relatum est, bene Scriuerius cognouerat: uid. Schneidew. proll. in Martial. p. IX. Hinc Quintiliani quoque uerba, quae sunt IX, 2, 18 *Uerborum quoque uis ac proprietas firmatur uel praesumptione „Quanquam illa non poena, sed prohibitio sceleris fuerit": aut reprehensione „Ciues, ciues inquam, si hoc eos nomine appellari fas est,"*

non possum quin corrupta esse credam. Mirum enim foret, si is qui saepissime orationem exemplis singularum partium positis disiunxit, hoc uno loco tam siue negligenter siue, ut aliis placet, eleganter locutus esset. Accedit, quod, cum de sola praesumptione agatur, huic reprehensionem, non dico adiungere, sed bipertita disiunctione obiicere nullo modo poterat scriptor. Quare nescio, an non scripserit Quintilianus *firmatur praesumptione*, *ut Quanquam* etc. Itaque alia ipse circumspiciens exempla unum inueni Apuleii de dogm. Plat. I, 7. p. 5 ed. Elm. *Et alia initia inueniri forsitan posse*, *quae aut deo nota sint uel dis amico.* Quae uerba quanquam non minus facile sic corrigi possunt, ut *forsitan posse ait*, *quae deo* scribatur, tamen Apuleio uariandae orationis amantissimo illam inconcinnitatem, quam non magis in *siue* particula ab eo spretam esse uidebimus, concedendam esse arbitror. Nam maiorem etiam licentiam habere uisa est *siue* particula, quam, praesertim cum *an* interdum pro repetito *siue* subiici animaduersum sit (uid. Orell. ad Tacit dial. 5), non solum sequentibus, sed etiam praecedentibus *aut* et *uel* particulis, ita ut utraque sibi respondeat, poni posse, multi crediderunt. Sed hanc quoque doctrinam cum talibus firmant, quale hoc Uirgilii Aen. 12, 684 sqq.

Ac ueluti montis saxum de uertice praeceps
Cum ruit, *auulsum uento*, *seu turbidus imber*
Proluit, *aut annis soluit sublapsa uetustas*,

nulla hic inconcinnitas est; sed uentus, imber, anni diuerso modo disiunguntur, in quo, nisi quod extremo quoque enuntiati membro *si* particulam additum iri exspectari poterat, nihil inusitati inest. Non magis accommodatum Tacit. annall. 14, 7 *siue seruitia armaret uel militem accenderet*, *siue ad senatum et populum peruaderet:* in quibus non tres rationes, sed duae, quarum prior bipertita est, inter se opponuntur. Aliena quoque Ueget. 4, 1 et Uitruu. 6, 6 init. ed. Schneid. Relicta esse uideo, quae ad rem faciant, praecedentis *siue*

particulae, subiecta *uel*, exempla, Apulei. met. p. 171 ed. Elm. *Prome agedum, quae sola mihi seruis amanter, nomen eius, quae puerum ingenuum et inuestem sollicitauit, siue illa de Nympharum, seu de Musarum choro, uel de mearum Gratiarum ministerio.* Flor. 4, 2, 79 *Sane et ipse ante aciem Caesar moestior, non ex more: siue respectu fragilitatis humanae, siue nimiam prosperorum suspectam habens continuationem, uel eadem timens, postquam idem esse coeperat, ac Pompeius.* Dict. Cret. 6, 10 *cuius opinio exorta triplex: seu quod post occasum solis cum matre Hemera ex conspectu hominum excesserit, siue supra modum dolore affecta fraternae mortis ultro praeceps ierit, uel ab his qui incolebant — circumuenta interierit*, in quibus omnibus, quoniam in tertia parte disiunctio mutatur, minus durum quam in bipertita oratione hoc dicendi genus: sequentis autem post *aut* particulam Uitruu. 5, 6 ed. Schneid. *machinae in singula tres species ornationis, quae, cum aut fabularum mutationes sunt futurae seu deorum aduentus cum tonitribus repentinis, uersentur.* Hinc nemo dubitabit quin Tacito dial. 5 *quo propugnare pariter et incessere uel in iudicio, siue in senatu, siue apud principem possis* recte sit a Bekkero *siue in iudicio* e codice Farnesiano restitutum. *Nec — aut*, ut hoc addam, quanquam alienum a proposito meo, dictum esse pro *nec — nec*, id quod eadem ratione atque de *aut* et *uel* particulis contendit Handius Tursell. I. p. 543 sqq., de eis poetis, qui ante Augustum eoque regnante uixerunt, nego, apud reliquos num in usu fuerit, uehementer dubito. Nam in eis, quae allata esse uideo, exemplis aut in priore enuntiati parte non propter sequentem *aut* particulam *nec* positum est, sed solum per se maiorem negandi uim habet, quam *non*, ea fere significatione, qua *ne — quidem* dicimus, de quo disputauit Maduigius ad Cic. de finn. p. 816 sqq., ut Lucan. 1, 286 *Nunc neque te longi remeantem pompa triumphi Excipit,*

aut sacras poscunt Capitolia lauros: aut postquam iusta disiunctio iterata *nec* particula facta est *aut* nouam sententiam prioribus addit, de quo usu Bentleius dixit ad Hor. sat. I, 6, 68. De disiunctiuis autem particulis hoc puto ex eis quae disputaui apparere, cadente demum flore orationis latinae illam, quae bonis poetis immerito tributa est, inconcinnitatem inductam esse.

Itaque in Propertii uersibus cum recte iudicauerit Lachmannus, non posse *uel* et *aut* inter se opponi, accedit, quod nec *illic* habet, quo referatur, nec *studia Platonis* recte opponuntur *hortis Epicuri.* Quanquam si his induci nos patimur, ut cum Lachmanno et Iacobo uersus 25 et 26 eiiciamus, non minus uitiosa euadit oratio: Nam non solum difficilis est, uel nullus potius ab eis quae praecedunt ad u. 27 transitus, sed ne poterat quidem in hoc ipso uersu *aut* secundo loco poni. Quamuis saepe enim et copulatiuae particulae, de quarum collocatione egregie disputauit Hauptius obss. critt. p. 42 sqq., et disiunctiuae a poetis post illam uocem, ante quam ponendae erant, collocenter, tamen in priore bipertitae orationis parte, ubi non ad ea quae praecedunt, sed ad subiectam sententiam particula refertur, durior haec traiectio est, quam quae omni utriusque partis constructione diuersa unquam admissa sit, maxime ita ut post ipsum uerbum, id quod hic fieri uolunt, collocaretur. Quae cum ita sint, non uideo quid restet, quam ut ante u. 25 aliquot uersus excidisse dicamus, quibus Athenarum significatio, qua omnino aegre caremus, continebatur. Quibus uersibus oblitteratis cum simul u. 25, in cuius initio stipata inuenimus uitia orationis, affectus esset nec quicquam fortasse praeter Platonis nomen cognosci posset, librarius suo ingenio uerba refinxit et cum eis quae antecednnt male consarcinauit. Hunc autem praeter necessitatem in u. 25 *uel* posuisse, non *aut*, non mirabitur, qui e Martialis uersibus utriusque particulae coniunctionem usitatam fuisse medii aeui hominibus cogno-

uerit. — Dubitantius hoc emendandi genus transfero ad III, 12, 9 sq.

Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Cnosia utroque iacet.

Quae quanquam a plerisque uideo ita explicatum iri, ut Amor merito sagittis et pharetra armatus pingi dicatur, mihi tamen persuasit Iacobus in Iahn. ann. V, p. 263, sermonem non esse latinum, quia nec pharetra ex humeris pendens iacere ex eis dici posset, nec uterque humerus idem esset atque humeri. Quanquam quod ipse proposuit *iacit* legendum esse, ut pharetra intelligatur ex humeris pendens et sagittas in utramque partem iaciens, id non magis probo. Nam nec dici hoc poterat de pharetra in picta quidem tabula, neque quam uim ad inopinatum impetum significandum, id quod sententiarum nexum flagitare bene perspexit Iacobus, pharetra habeat, quandoquidem sagittas manibus tenere dicitur Amor, intelligitur. Sed cum ita omnia ab ea quam dixi sententia recedant, ut quemadmodum apte emendari possint non uideam, facile adducor, ut genuino uersu, quo fortasse Amorem callide quem feriat circumspicere dixerat poeta, omisso postea alium a librario fictum esse credam. — Sed in his quidem cum restituere studerent quae exciderant, ulterius progressa est interpolatio in his III, 20, 21 sqq.

Septima iam plenae deducitur orbita lunae
Cum de me et de te compita nulla tacent.
Interea nobis nonnunquam ianua mollis,
Nonnunquam lecti copia facta tui,
Nec mihi muneribus nox ulla est empta beatis.

Nimis languidam enim et ineptam sententiam uu. 23 et 24 *Interea* etc. continent, quam ut a Propertio eos profectos esse credibile sit. Neque enim nonnunquam, sed semper, sed nunquam non receptum se esse dicere debebat, si apertius uolebat quod satis significatum erat describere. Iacobi uero quae fuerit sententia, cum *non unquam* ex N recipiendum

esse censuit, non intelligo, nisi forte, quod tamen uereor ut cuiquam persuadeat, *munera* e u. 25 ad hos quoque uersus trahi noluit. Itaque utrumque uersum, quo facile caremus, a librario uel grammatico quodam fictum esse existimo. Et poterat sane, postquam pentametrum, ad pedestrem orationem maxime accedentem, ex eis quae ad interpretandum uersum 25 ascripta inuenerat exculpsit, facile maiorem uersum e tritissima ianuae in similibus sententiis memoria adiicere.

Itaque sic est iudicandum, exstitisse olim unum Propertii codicem, qui cum per aliquod tempus, ut uidetur, latuisset, membranae nonnullis locis erant laceratae aut litterae situ obductae. E quo codice, quem diuersum esse ab eo, de quo Iouianum Pontanum narrasse dicit Alexander ab Alexandria geniall. dieb. II, 1. p. 240 ed. LB. non est, cur moneam, nouus liber ita descriptus est, ut praeter ea uitia quae in illo exemplo librarius inuenerat noua adderet multa. Nam et litterarum similitudine saepe est in errorem inductus, et quae supra lineas ad sententiam poetae explicandam ascripta erant, temere interdum in continuitatem uerborum recepit, et uersuum ordinem perturbauit nonnunquam, et totos uersus ipse finxit. Quanquam in his omnibus dici nequit, quid in ipso uetusto libro corruptum fuerit, quid in eo describendo peccatum sit. Praeterea uero, quia multa in illo codice infelici casu perierant, librarius quae singulis locis relicta erant, arbitratu suo consarcinauit, ita ut non solum ubi aliquid deesset, non indicaret, sed etiam, si operae non taedebat, genuinae sententiae lacinia ipse suppleret. Ita multis in hoc libro nouatis, ex eo sunt nostri libri deducti.

UITA.

Natus sum a. d. VIII Kalendas Iunias anni CIϽIϽCCCXXII Gressouiae, uico Megalopolitano, patre *Godofredo*, sacrorum ibi antistite, matre *Albertina* e gente *Kindlerorum* oriunda. Patris carissimi disciplina usque ad annum aetatis fere quintum decimum institutus, gymnasio Gottingensi, quod *Ferdinando Rankio* regente tum efflorescebat, traditus sum. Quod postquam duos annos et dimidium *Rankii* imprimis disciplina et familiaritate studia mea adiuuante frequentaui, litteris antiquis, quibus dudum me addixeram, operam daturus, in eiusdem urbis academiam Georgiam Augustam transii. E praeceptoribus autem, quorum ibi disciplina institutus sum, nominandi imprimis senex uenerabilis *Christophorus Guilelmus Mitscherlichius* uiriqui optimi *Schneidewinus* et *Leutschius*, qui cum scholis suis tum seminario regio philologico, cui me ascripserant, regendo ad antiquarum litterarum studium mihi uiam muniuerunt, et summus philosophus *Herbartus*, cuius scholis omni ex parte absolutis amorem philosophiae mihi primum imbui sensi nunquam non duraturum. Anno peracto academiae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae splendore allectus, in hanc urbem profectus sum: ubi ciuium academicorum numero ab *Ernesto Mauricio Arndtio* ascriptus, nomine dato apud *Fridericum uan Calker*, ordinis philosophorum tunc

decanum, scholas adii philologicas *Welckeri*, *Ritschelii*, *Schopeni*, historicas *Dahlmanni*, *Loebellii*, *Urlichsii*, philosophicas *Brandisii* et *Fichtii*. Praeterea autem insigni *Welckeri* et *Ritschelii* beneuolentia in seminarium regium philologicum, cum primum studia mea huc transtuli, receptus, communibus sodalium exercitationibus, quibus uix quicquam est, quod maiorem studiis meis aut utilitatem attulerit aut uoluptatem, interfui.

SENTENTIAE CONTROUERSAE.

I.

Recentioris aetatis historia non potest a medii aeui memoria nisi compluribus, quae sub idem tempus euenerunt, rebus coniunctis discerni.

II.

Romanis, quod graecas litteras imitati sunt, non est in crimen uertendum.

III.

Errant qui in philologia linguarum uim hanc esse solam contendunt, ut ad reliquas disciplinas uiam aperiant.

IV.

Criticus non nascitur, sed fit.

Uid. Ruhnk. elog. Ti. Hemsterh. p. 12 ed. LB.

V.

Leucippus et Democritus ab Ionicis philosophis non sunt segregandi.

VI.

Sophocles mortuus est Ol. 93, 2.

VII.

Myobatrachomachia Homerica a Pigretis carmine, de quo Plutarchus de malign. Herod. 43 loquitur, non diuersa est.

VIII.

Sola recte se habet uersus Saturnii forma ab Hermanno elem. doctr. metr. p. 611 descripta, eo quidem temperamento adhibito, de quo Muellerus ad Fest. p. 396 sq. exposuit.

IX.

In Sophoclis uersibus Electr. 42 sqq.

Οὐ γάρ σε μὴ γήρᾳ τε καὶ χρόνῳ μακρῷ
γνῶσ', οὐδ' ὑποπτεύσουσιν ὧδ' ἠνθισμένον

ἠνθισμένος uocabulum de ornatu hominis intelligendum est.

X.

Uirgilii uersus eclog. 6, 69 sqq.

Hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,
Ascraeo quos ante seni, quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi Grynei nemoris dicatur origo,
Ne quis sit lucus quo se plus iactet Apollo

non ad deperditum Hesiodi carmen, sed ad primos theogoniae uersus referendi sunt.

XI.

Corruptus uersus Uirg. Cir. 161

Heu nimium tereti nimium Tirynthia uisu

ita emendandus est

Heu nimium certa et nimium terrentia uisu.

XII.

Uelleii Paterculi uerba hist. Rom. 1, 18 init. sic restituo

Una urbs Attica pluribus a r t i s e l o q u e n t i a e q u e, *quam uniuersa Graecia,* o p e r i b u s *floruit.*